DE

N. FRISCHLINI

COMŒDIIS LATINE SCRIPTIS

QUID SIT PROPRIUM, QUID GERMANICUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

L. ROUSTAN

PARISIIS

APUD CERF, BIBLIOPOLAM

XII, VIA SANCTA-ANNA

M DCCC LXXXXVIII

DE

N. FRISCHLINI

COMŒDIIS LATINE SCRIPTIS

QUID SIT PROPRIUM, QUID GERMANICUM

DE

N. FRISCHLINI

COMOEDIIS LATINE SCRIPTIS

QUID SIT PROPRIUM, QUID GERMANICUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

L. ROUSTAN

NON UNIUS LIBRI

PARISIIS

APUD CERF, BIBLIOPOLAM

XII, VIA SANCTA-ANNA

M DCCC LXXXXVIII

INTRODUCTIO

Inter splendidissimos et diversissimos ludos quos Dux Wirtembergicus Ludovicus in aula Stuttgardiana anno 1585 edidit, comœdiam quoque dare instituit qua nobiles hospites literatissime recrearentur; idque eo facilius tentabat, quod in promptu habebat poetam quemdam, cujus fecundissima vena ad augendum festorum dierum splendorem nunquam defuerat. Frischlinum igitur arcessivit, Tubingensis Academiæ professorem, qui, cum antea in priores ducis nuptias comœdiam *Rebeccam* (1575) fecisset, tunc novissimum dramaticum opus, *Julium redivivum*, scripserat.

Non sine causa putandum est has ipsas laudes quas poeta, in ea comœdia, rei militaris extollendæ causa, Germanis tribuerat, easdem quam plurimam gratiam apud spectatores invenisse. Nobis autem inspicientibus apparet Frischlinum, in clarissimo cœtu, de re literaria suæ ætatis libentius gloriatum esse et majore voluptate principem romanæ eloquentiæ, Ciceronem, cum ornatissimo ex novis Germaniæ poetis, Eobano Hesso, in uno eodemque loco posuisse. Tenemus enim Frischlinum ipsum Hessi personam in comœdia egisse, quo publice demonstraret se inter viros doctos ejusdem ætatis Hessi partes suas facere voluisse.

Has autem partes tenere difficile erat, cum pleraque in nova Germania jam mutata essent. Eobani Hessi æmulo nulli erant æquales fervidæ et præcipitis mentis, ferocis ac liberalis ingenii, novarum rerum curiosi, veterem ordinem minime pendentes; sed frigescebat jam ætas languescebatque, et omnia quæ tum in sententiis tum in moribus a reformatoribus rei literariæ ac divinæ in deterius versa putabat, ea nunc arrogantiore et impatienti animo iterum componere conabatur. Frischlino maximo detrimento fuit, quod ætati suæ jam non conveniebat[1].

Omnibus animi dotibus a natura instructus fuerat: facile scilicet acutumque ingenium, quo in tirocinio rapide ad meliora evasit, et jam in prioribus annis nonnullam famam scriptis adeptus est; erat quoque in eo mira docendi facultas, qua in locis omnibus discipulis suis acceptissimus præceptor factus est; erat urbanitas et facetiarum non illepidum genus, ita ut gratissimus conviva nobilium epulis accumbere posset et una cum præclarioris generis hominibus versaretur. His autem omnibus cum invaluisset ingenita poetæ superbia, invaluit etiam collegarum æmulatio qui ingenii virtutibus multo minores erant. In Academia semper invisus et ab omni spe augendæ fortunæ destitutus, vindicandi sui causa, alios salibus et satiris lacessivit. Præterea in omnibus rebus de quibus, pro liberali ingenio, penitus subtiliterque sentiebat, cœpit arrogantior et imprudentior fieri; mox ingratus discipulus, collegarum contemptor cujusque auctoritatis inimicus, novitatum fautor omnibus habitus est. Quippe cum inquieto animo esset et hominum livore atque invidia peteretur, in patria manere non potuit, cumque vitam miseram in diversissimis locis postremumque in exilio degisset, eamdem in carcere miserrime finivit. Semper autem vir fuit ita inconcussæ constantiæ et indefessæ mentis, ut tot verberibus saucius, tot odiis exagitatus, jam in novas rixas incurreret.

1 V. Strauss. *Leben und Schriften des Dichters und Philologen N. Frischlin*. Frankfurt a. M. 1856.

Miserrima calamitas fortitudinem poetæ non abstulit neque imminuit, qui ex Hohenauracensi captivitate effugere conatus, caput in rupes fregit, cum novum aliud exemplum audacissimi animi præberet.

Dolendum est quidem ingenium tot et tantis virtutibus præditum, sed parum severis moribus inserviens, nullo modo rationem recte honesteque vivendi tenuisse et adversariorum invidia malignitateque a melioribus ad deteriora esse impulsum. Utcumque se habuit et quicquid est quod deliquerit (neque ad illius errores tantum spectandum est), infelicis poetæ vita ac persona dignissimæ videntur quæ in nonnulla existimatione ponantur, etsi scripta jam e memoria hominum excesserunt.

Clarissimo enim et excusando errore decepta sunt præstantissima quæque ingenia, quæ sedecimo sæculo veteres scriptores cæca admiratione et imitatione colendos censuerunt. Sed eruditissimi viri, — quos brevitatis causa *Humanistas* appellari liceat, — falsam ingressi viam pœnas luere. Nam dum illi antiquos scriptores cum græcos tum latinos immeritæ oblivioni eripere volunt, in oblivionem venerunt.

Frischlinum sors eadem manebat ejusque opera, quæ ex grammatica et poetica parte constant, jure oblivio obruerunt. Quorum pars prior omnino obsoleta posteris fere evanuit, ut quæ scientiarum profectu nihil prope commodi nostræ ætati præbere possit. Sed tamen æquum lectorem hoc fugere non debet Frischlini *Paraphrases*, *Grammaticam*, *Nomenclatorem* et *Interpretationes*, pro suo tempore scilicet, inter opera ejusdem generis non ignobilem, imo illustrissimum tenuisse locum. Cujus scripta sunt et subtilis judicii et reconditissimæ eruditionis ; in his ordo maximus cum purissimo antiquorum succo, ita tamen ut novissimorum etiam et probatissimorum scriptorum sententias deprehendas et mireris. Bellum autem grammaticum, quod per totam vitam auctor cum adversariis conseruit, scriptis detrimento fuit, etsi

satiræ illæ, quæ *Strigilis*, *Celetismus*, *Poppysmus* inscri_buntur, non insulsum ingenium ostendunt.

Ut grammatica, ita opera poetica in oblivionem venerunt. Quæ quidem, si inventionem solum respexeris, nullius fere laudis digna reperies, cum nihil aliud sint quam versibus inclusæ interpretationes ut *Hebræis*(ex Samuelis Regumque libris desumpta et in Aeneidis imitationem facta), aut fastidiosæ laudationes in Principes, (ut *Nuptiæ Wirtembergicæ*), aut in hunc et illum dedicatoriæ et gratulatoriæ epistolæ, carmina genethliaca, innumera epigrammata, quæ omnia in « parte elegiaca operum poeticorum » continentur. Singula quæque inquirenti nonnihil oblectationis erit. At æquissimum lectorem haud fugiat satietas poetæ, qui sibi nihil aliud assequi voluisse videtur quam antiquorum scriptorum elegantias et purum dicendi genus. Quod Frischlino prope mirum in modum contigit et meritissimam apud æquales invenit gratiam. Nos autem hanc imitationem, qua Frischlini ætas delectata est, parvi facimus; imo quid in illis operibus proprium, genuinum, germanicum sit, invenire optamus.

I

QUID IN FRISCHLINI SCENICIS OPERIBUS AD ILLIUS AETATEM PERTINEAT; QUID DE ILLIUS SATIRA SENTIENDUM SIT

Hoc quidem modo Frischlini comœdias lectori commendari censemus, quæ imaginem quamdam hujusce ætatis effingunt. Quas si poeta vernacula lingua scripsisset, apud quemque rei literariæ germanicæ scriptorem nonnullam laudem reportasset [1]. Comœdias autem omnes, paucissimis exceptis, latine scripsit, ut quæ vix ab aliis quam a doctis viris et juventute academica legi possent. Duas tragœdias, quæ *Venus* et *Dido* inscribuntur et operi ejus scenico plerumque adjunguntur, ne agendas quidem, sed sola exercitationis gratia fecit, quo melius exemplo demonstraret quomodo, ex antiquis epicis poetis opus dramaticum depromendum esset et aliud scribendi genus in aliud mutaretur.

Attamen non solum propter alienum sermonem periere Frischlini comœdiæ, sed etiam propter quod illis non multæ poeticæ laudes insunt quibus se commendare possint. Frischlino enim ejusdemque ætatis doctissimo cuique poesis nihil aliud erat quam quædam optimorum scriptorum imitatio. Terentius quidam christianus [2] Humanistis ante oculos obver-

1. Cf. Gervinus. *Geschichte der deutschen Dichtung*. vol. III
2. V. Francke. *Terenz und die lateinische Schul-Komödie in Deutschland* Weimar. 1877.

sabatur, quem veteri Terentio parem vel etiam superiorem futurum esse dictitabant, quod purior esset neque gentilium errore inquinatus videretur. Frischlinus ipse se hanc laudem consecutum esse censebat. « Adolescentes, aiebat, pro Thaide discant amare meam Rebeccam et pro Glycerio meam Susannam et pro Bacchide meam Hildegardin »[1]. In præfatione quadam comœdiarum se Terentii æmulum profitetur : « nam olim jam delineavi pro Terentio profano (non quidem ut illum e scholis exterminem, sed ut mea cum illo conjungam) delineavi, inquam, *Eunuchum*, *Adelphos* et *Heautontimorumenon*, tres comœdias novas et sacras in quibus omnis historia Josephi continetur [2]...... Concinnavi etiam *Hecyram* in qua omnis historia Ruth explicatur atque in scenam introducitur » [3].

Ut poetæ superioris ætatis, ita Humanistæ dramata sua scripserunt, quibus homines ad virtutem et veram religionem informarentur. Specie quidem ; nam re vera novum illum Terentium morum castitate minime commendari censeas. Quamvis nulla alia ac bona exempla spectatoribus proponi auctor comicus voluerit, quadam tamen reprehensione non indignus tibi videbitur, quippe cum jocos comicos Plauti vel Terentii, in quibus servi et parasiti primas partes agunt, imitatus sit. Erat enim ætas adeo incondita rudisque ut interdum poeta in his nullum tenuerit modum.

In his autem locis, qui plerumque ex latinis comicis prope ad verbum exprimuntur, poeta nonnumquam videtur non aliena sed propria arasse vitula. Nam cum jocosos ex veteribus ludos imitaretur, similia quædam sive de personis sive etiam de rebus, quæ omnia per se ipse observatione notaverat, in mentem veniebant. Quos inter exiguos fines nonnihil laudis Frischlini comœdiis eripi atque detrahi non

1. *Poppysmi grammatici Dialogus III*. 1596.

2. Scilicet : Eunuchus sive Josephus venditus ; Adelphi sive Josephus agnitus ; Heautontimorumenos sive semet excrucians Jacobus, quas comœdias sibi scribendas jam anno 1577 proposuerat.

3. Operum poeticorum pars scenica. Præfatio. Argentorati, 1612.

potest, quod in lucem proferre institui. Non ut dramata, sed potius velut imagines illius temporis, Frischlini comœdias commendandas esse existimo.

Hæc vero in opere comico rarius apparent, quæ etiamsi in unum locum contraxeris, non integram temporis imaginem tibi præbebunt. Sed ex auctoris nostri comœdiis tres sunt quæ ad illius ætatem multo magis pertinent, quæ quidem propter fabulam ipsam attentioribus oculis sunt perlustrandæ. Namque non solum paraphrases dramaticæ sunt ex Virgilio aut Cæsare depromptæ, neque historiæ sacræ in dialogos redactæ, sed causæ, ut ita dicam, quas poeta pro humanioribus studiis, pro religione, pro patria suscepit. Quo animi motu homines hujus ætatis in Suevia agerentur, quæ refellere, quæ defendere vellent, quodam velut in speculo nobis ostendunt tres comœdiæ illæ, *Priscianus vapulans*, *Phasma*, *Julius redivivus*. Si scribendi genus solum respexeris, vix tibi pluris æstimandæ sunt quam ceteræ. Quanquam fabula prioribus præstant, rudes tamen sunt, quippe quæ incallido scenarum ordine et fastidiosa garrulitate laborent, et propter illepidos jocos nimisque facilem risum merito reprehendantur. Sed illas comœdias, propterea quod in his poeta aliud quam antiquitatis imitationem aucupari voluit, imo ætati suæ inserviit, ideo æquus lector nunc quoque libentius in manus sumet. Ex illis enim percipias quid auctor ipse usu expertus sit, quid sibi primum vitæ spatium ingresso proposuerit, quos amicos et præsertim quos inimicos habuerit, quæ res literariæ fuerint in quibus totus versatus sit.

Ex omnibus Frischlini operibus, comœdiæ [1] maximum favorem apud æquales invenerunt, quæ tum elegantissima antiquorum imitatione tum genuinis virtutibus æque commendabantur. Acre et mordax ingenium quo poeta personarum mores mira quadam varietate effinxit, promptus ac lepidus sermo comœdias apud plurimos acceptissimas fecerunt.

1. Cf. Pabst. *Die lateinisch schreibenden Dramatiker im XVI. Jahrhundert*. Arnstadt. 1851.

Persæpe enim in scenam actæ sunt : in aula autem Stuttgardiana, neque tantum semel, *Rebecca*, *Susanna*, *Hildegardis magna* [1]. In *Julio redivivo*, qui in secundas nuptias Ducis Ludovici scriptus est, Frischlinus ipse Eobani Hessi, personam egit. *Priscianus vapulans* Tubingæ, solennibus quæ centesimo anno ab Academia condita habita sunt, in scenam processit. Tubingæ quoque *Phasma* sæpius ab adolescentibus actum est. Tragœdiæ autem *Dido* et *Venus* et forte *Helvetiogermani* comœdia a juventute academica tantum in auditoriis, deficientibus ceteris spectatoribus, recitatæ sunt.

Hæ vero latine scriptæ comœdiæ ab indocto quoquo auditore difficile intelligi poterant, quanquam prologo et argumentis germanice expressis, poeta ignaræ turbæ opem ferre conabatur. Cum autem, vix in lucem ab auctore editæ, omnes in vernaculam linguam translatæ fuissent, ipsis latini sermonis insciis oblectationi fuerunt. Frischlinus Jacobus hoc modo laudes fratris Nicodemi, qui natu major erat, amplificandas suscepit.

Frischlinus opera comica juvenis adhuc scripsit, propemodum ab anno 1570 usque in annum 1580. Quo vivo, persæpe prælo excudenda commissa sunt, mortuoque longam adhuc gratiam apud doctissimum quemque invenere. Pflugerus, qui Frischlini scripta sæpius edidit, in præfatione *Operum poeticorum* (Argentorati, 1601) hæc scripsit : « Unum opus comicum per quinque reiteratas distinctis annorum intervallis editiones 6000 et ultra exemplaribus multiplicatum tanto hactenus cum applausu emptum et exceptum fuit ut prope diem nova editio typographo adornanda sit ».

Singulas comœdias Frischlinus suis patronis primum dedicavit. Cum autem in unum opus coactæ fuissent aut novis editionibus separatim in lucem prodiissent, sibi novos Mæcenates quæsivit invenitque. Non tam acceptæ essent

1. V. Sittard. *Zur Geschichte der Musik und des Theaters am württembergischen Hofe.* 2 vol. Stuttgart. 1890.

dedicationes, si parvi fecissent comœdias eruditissimi viri. Imo inter omnia pugnacissimi auctoris opera, ea innocua scripta habebantur, quæ honoris gratia accipi possent, salvo etiam difficilioris clientis periculo.

Frischlinus ipse intellexit se de suis comœdiis tutius quam de ceteris libris gloriari posse. In longo enim bello, in quo tota ejus vita acta est, testimonio persæpe sibi voluit esse comœdias, quo falsam aut veram adversariorum accusationem refelleret. His qui vitam moresque improbaverant imaginem castitatis in *Rebecca* et *Susanna* sua opponit. Sin autem inimici Frischlinum reprehendunt, quod res literarias miscere et Melanchthonis grammaticam propria evertere voluerit, *Priscianum* suum usque ad satietatem memorat, in quo Philippum, « præceptorem Germaniæ », « trium linguarum Phœnicem », in cœlum laudibus tollit. Si religionem ejus suspectam habent, *Phasma* suum objicit, in quo Lutherus et imprimis Brentius, tanquam Propheta alter, victoriam de hæresiarchis et Papistis referunt. Si reprehenditur quod patriam non amet, res omnes in ducatu misceat, parvi Germaniæ doctos viros, magni autem gallicos italicosque faciat, *Julium redivivum* et laudes in Germaniam novam scriptas obtestatur. Quod si tot et tantis testimoniis non potuit Frischlinus omnia quæ ei vertebantur crimini diluere, tamen ei argumenta ex prioribus libris sumere licebat, quibus impetum quem propter posteriora opera in eum fecerant adversarii, refellere conaretur.

Nemo autem mirabitur Frischlinum ex comœdiis professum se esse hominem et sanctissimæ vitæ, et rei literariæ ac sacræ studiosissimum et patriæ amantissimum, si illius opus comicum a juvene adhuc scriptum fuisse respexerit. Nondum enim in pugnatoriam arenam descenderat a qua non jam recessit. Adversarium in comœdia tecte notare non usitatum erat, cum lectores duriori concertationi assuetos fugisset tecta notatio vel impetus in comœdia paulum gravis visus esset. Ea quidem ætate non comico joco, sed atrocissima

insectatione et *contentionibus* et *defensionibus* et *responsionibus* alius alium mordere neque res tantum sed potius personas carpere solebat. Præterea, si quid in quemquam a scriptore comico apertius dictum videretur, poetæ nulla dabatur venia lædendi. Academia, cui comœdiæ mandabantur ut legerentur approbarenturque, quidquid proximum quemque collegam offendisset et tranquillitatem omnium perturbasset, delere non dubitabat.

Quanquam in tirocinio Frischlinus opus edidit comicum, quanquam et temporis consuetudo et Academiæ censura illi impedimento fuit, tamen non a deridendis tum personis tum rebus omnino in comœdiis abstinuit. Censebat enim dramatici poetæ partes esse mores corrigere comœdiamque « imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis » haberi. Jam his de rebus existimabat quæ postea in *Celetismo* dialogo scripsit. « Mentiretur qui dicat : Nulli sunt hodie Thrasones, qualis est Crusius in grammatica, nulli Gnathones, qualis est Crusius parasitaster Theologorum suorum, nulli suspiciosi Chremetes, nulli amatores Pamphili, nulli attenti ad rem Menœdemi. Mores enim ætatis suæ Terentius comœdiis insectatus est, græcis nominibus suos Romanos tecte notavit » [1]. Non aliter Frischlinus ; eumque Terentii exemplum et ingenitos sales secutum esse putandum est. Quapropter Academiæ senatus comœdias, priusquam in scenam producerentur, attentissime legebat. In *Prisciano* versus quidam quo Frischlinus collegam Lieblerum, alii quibus Crusium petere videbatur, jussu senatus deleti sunt. In *Rebecca* idem Lieblerus calamo suo quædam annotaverat, quale illud quod ad scenam pertinet in qua Ismael venator loquitur. « Vide, addebat Frischlinus, et quidem non illepide, vide ne venatores (homines latine docti) offendantur » [2]. Hanc enim censuram ægre tulit pœta, si Crusianis verbis credendum est : « Quando prioribus temporibus tuas comœdias,

1. *Celetismus grammaticus*. 1588
2. *Celetismus*.

antequam excussæ essent, a scurrilitate jussu senatus repurgabamus, dicebas : stultos ovis excludendis impositos esse »[1]. Frischlini autem malevolentiam tam suspectam habebant, ut non modo comœdias, sed etiam quidquid ex græco sermone in latinum transtulerat, corrigendi causa, maxima cura perlustrandum esse putarent. Nonnullas enim Aristophanis comœdias in latinam linguam verterat Frischlinus : « quum initio eas nostro Principi dedicasses, inquit Crusius, e Stuttgardia anno 81. mense Martio huc remissæ Decanis legendæ datæ fuerunt, viderent an nemini ibi malediceres. Adeo jam linguæ tuæ temeritas innotuerat »[2]. Frischlinum de comœdiis sic reprehendebat Crusius : « Cuinam hominum generi tu non maledictis tuis detraxisti? quos non exagitasti? venatores in tua Rebecca, caupones in Susanna, medicos in Hildegarde, quosvis in Prisciano[3]» Posterioribus annis (1587) cum accusatio in poetam nostrum ferretur, Engelhardus ludimagister qui injurias a Frischlino in quemque illatas ex operibus ejus colligendas susceperat, unam ex his hoc modo notabat : « Comœdiam Tubingæ adprobatam scripsit in qua plerique nobiles nostrates et plerique aulici proceres juvenes et senes dicuntur plus Baccho et Veneri vivere quam Deo »[4].

Respondebat Frischlinus, ut asperiora dicta cum in comœdiis tum in carminibus orationibusque defenderet, idem jus reprehensionis professori esse quam sacerdoti. « Reprehendere et insectari scelera est etiam munus poetarum qui et ipsi sunt prophetæ : in hoc vocati a Deo et divina ingenii facultate ornati, ut vitia castigent in omnibus vitæ generibus. Hanc enim libertatem Divus et vivus Rodolphus mihi concessit, imposita vertici meo laurea poetica. Quantis per enim poeta in

1. M. Crusii *adversus Frischlini dialogos.... defensio necessaria*. Basileæ 1587.

2. Crusius. *Defensio necessaria*.

3. Id. — Cf. M. Crusii *responsum adversus Poppysmi Dialogum III*. Francof. 1599.

4. Ex Stuttgardiano archivo, fasc. 15 b.

reprehensionibus scelerum et sceleratorum hominum non potest convinci famosi libelli, tantisper non excessit metam vocationis suæ. Nam quod D. Jacobo Andreæ est laurea doctoralis, imposita ipsi Tubingæ a collegio Theologico : hoc mihi est laurea poetica, imposita mihi in comitiis Ratisponensibus a vivo et Divo Rodolpho. Ex quo intelligis etiam me publica armatum esse auctoritate, ut possim laudare laudanda et culpanda culpare et orationes atque poemata mea in lucem proferre, tanquam vaccas Helveticas bene saginatas lectione omnium veterum Græcorum et Latinorum, omnis generis scriptorum. Eas postea mulgeat qui volet » [1].

Quod tunc elato superboque verborum genere grammaticus in publicum ferebat, idem jam in prioribus scriptis senserat poeta. Auditores quidem fugit tecta notatio in comœdiis, quia auctor nondum se fere omnibus invisum fecerat. In comico autem opere, si attente perspexeris, totam pœne Frischlini vitam in breve coactam velut in speculo quodam intueri poteris : impetum scilicet in nobilitatem, rixas cum Academiæ collegis, longum cum Crusio bellum grammaticum, in postremis annis iracundiæ remissionem et tardiorem pœnitentiam. Quid igitur ex auctoris comœdiis de illius ætate, de hominum moribus, de ipsius poetæ sententiis et propositis ediscendum sit, breviter exponam.

1. *Celetismi Dialogus II.*

II

COMOEDIÆ AD HUJUS TEMPORIS MORES SPECTANTES: *REBECCA, SUSANNA, HILDEGARDIS MAGNA, HELVETIOGERMANI.* — CONNUBII LAUS. NOBILITATIS INSECTATIO.

In viri mulierisque societate felicissimam invenit poeta comicus materiam, si morum comœdiam tantummodo respexeris. Nihil fere aliud tum in medio ævo tum in sedecimo sæculo in scenam ab auctoribus profertur. Quæ sint ante connubium mulierum virorumque partes, recentiores scriptores oculis proponunt, quæ autem post connubium, priores illi comœdiarum auctores. Qua ratione conjuges matrimonii leges servaverint in primum posuerunt locum. Deceptos maritos salibus pæsertim perfricuerant poetæ quorum fecundissimam venam morum pravitas ea ætate alebat. Neque tamen solum infelices viros maledictis pungebant, sed matrimonium ipsum pro ludibrio habere videbantur. Sedecimo sæculo religionis Reformatio, quæ bonos mores instaurandos susceperat, connubium tanquam aliquid sanctissimum et ab omni levitate alienissimum esse existimavit. Dramatici scriptores, quippe qui a Lutheranorum reformatorum causa starent [1] et qui socco eamdem viam ingressi essent connubium divinam institutionem, adulterium vero flagi-

1. Holstein. *Die Reformation im Spiegelbilde der dramatischen Literatur des XVI. Jahrhunderts.* Halle. 1886.

tium turpissimum haberi voluerunt. Ex sacris Scripturis facilem materiam ad exsequendum propositum invenerunt: Tobiæ, Rebeccæ, Ruth et aliorum historiæ præclara exempla præbebant qua ratione justum inire oporteret connubium ; discrimina in quibus Susanna aut Josephus versati erant conjugibus ostendebant qua castitate corruptorum hominum insidiis oppugnandum esset. Hæ quidem fabulæ atque aliæ ejusdem generis a poetis hujusce ætatis maximo cum studio versibus expositæ sunt.

Eamdem quoque viam incessit Frischlinus noster qui ex *Rebecca* comœdia (scripta anno 1575) initium duxit. Quale esset officium parentum ac liberorum ante connubium Isaci ex nuptiis clare explicuit. Uxorem vero eligere ad parentes pertinet. Nihil autem pluris faciant quam veræ religionis fidem, ceteris postpositis rebus quæ ad terrestria bona spectant, neque communem agendi rationem imitentur:

.... Hodie in uxore ducenda, non qua fide
Aut religione, sed quibus pecuniis
Instructi sint homines, spectarier solet.
. . . . Si quis uxorem nactus siet
Superstitiosam, illiberalem, incommodam,
Superbam, petulantem, profanam et impiam :
Magnum imminere solet, non tantum dominii [1],
. . . . sed fidei periculum.

Novit enim Abraham quantum

in hac re mulierum præpolleat
Astutia ut a religione abducant viros [2].

Mirum exemplum tanti periculi in filio Ismaele, ex connubio cum Ægyptia muliere Agar orto, ei est. Mater enim maxima sollertia filium a patria religione ita seduxit, ut nunc Ægyptios solum deos precetur. Frischlini vero sæpius animo occurrit quæ incommoda ex mixto connubio exoriri possint,

1. *Rebeca.* Act. I., sc. 1.
2. Ibid.

quanta discordia inter familias, utpote mulier liberos in propriam religionem tanquam optimam instituere conetur. Imo licebit ex *Rebecca* comœdia poetam quasi admonentem audire, ne Dux Ludovicus uxorem quam eo tempore ducere volebat, ex alia confessione quam ex Augustana eligat.

Parentum igitur si officium est liberis piam conjugem quærere, ita liberorum quam illi paraverunt eam maxima quidem pietate accipere. Isacum enim et Rebeccam tanquam exempla verecundiæ in parentum voluntatem proposuit poeta. Nulli eorum venit adhuc connubium in mentem, nempe id parentum est. Imo ab omnibus nuptiis abstinere voluit Isacus, ne pietatis in matrem Sarah quatuor ante annos mortuam immemor videretur. Alteram quoque ob causam conjugium reformidat, quippe qui se nondum justam ætatem adeptum esse judicet. Quæ quidem Isaci religio in quadragesimo anno nonnihil ridiculi affert ; poetæ tamen occasionem dedit eos juvenes carpendi qui citius in nuptias festinant,

> ... ante annum haud raro vicesimum
> Uxores ducunt, liberos ut procreent,
> Aut potius ut suam voluptatem explèant,
> Quum sint ipsimet plus quam infantes νήπιοι [1].

Attamen patris voluntati annuit Isacus,

> . . . . . . nam decet
> Esse audientem dicto patris filium
> Bonum qui recte sapit [2].

Eadem quoque facilitate morem parentibus gerit Rebecca,

> . . . . . nam virgo nulla est, quin siet
> Mala, quæ præter sapit quam suis parentibus
> Placet [3].

Parentum vero est liberorum ipsorum studium nonnihil facere

1. *Rebecca*, Act. II., sc. 5.
2. Id. A. II., sc. 6.
3. Id. A. IV., sc. 2.

atque ex eorum sententia connubium parare. Ex mixta enim illorum auctoritate et horum pietate constabit felicissima conjunctio, ut Bathuel, Rebeccæ pater, his verbis profert :

Etsi enim
Sacra est parentum autoritas et plurimum
In hoc negotio valet, haudquaquam tamen
Invitam e nostris te extrudemus ædibus [1]

Conjugium autem imprimis divinam quamdam institutionem haberi vult poeta, in quo cum parentes tum liberi solam Dei voluntatem exsequuntur. In prologo comœdiæ *Susannæ* Raphael, « quasi piorum conjugum pronubus a Deo constitutus », in scenam incedit.

Cum in *Rebecca* parentum liberorumque officia ante connubium ostendisset Frischlinus, nunc quomodo constet conjugum fidelitas in *Susanna* (1577) [2] illustratur. Nam apud illos veteres poetas neque adolescentibus neque puellis ullus fuit mutuus amor, qui ante nuptias quoddam nefas esse ducitur ; ut primum matrimonio inter se junguntur, maximo inceditur quisque in alium studio, quo conjugis officia leviora fiunt. Susanna igitur nos docet quæ sit fidelis amansque uxor·

. . . . proba
Uxor suo unice studet placere marito in omnibus :
Hunc solum observat, ceteros negligit, huic servit uni,
Hunc metit. . . . .
. . . Nunquam uxores curare nimium possunt suos viros,
Etsi enim agant omnia, ut æquum est, et sint quales esse [addecet...
Probam itaque me dici quam formosam aut pulchram [malo, Thamar.
Nam litem cum forma pudicitiæ esse quidam aiunt [3].

Difficilius majorem curam et sollicitudinem in maritum

1. *Rebecca*. Act. IV, sc, 3.
2. Cf. Pilger. *Die Dramatisierungen der Susanna im XVI. Sahrh.* 1879.
3. *Susanna*. Act. I., sc. 2.

quam apud Susannam invenias. Hic est severus amor ex mutua et firmissima fide constans quo conjux conjugem amplectitur. Namque poetæ sententia

. . . . . decet omnes conjuges
Suis uxoribus ut non nimium, ita nec parum
Credere semperque in illam partem tutius
Peccarier solet, nam Satanas conjugii
Hostis nulla re citius divellit animos
Quam talibus sinistris suspicionibus [1].

Quæ autem et qualia Joachim de sua uxore loquitur!

Lætor quoties huc domum
Convertor, equidem hanc vitæ meæ prope unicum
Habeo solatium : probam, piam, integram,
Dei timentem patrii, ætate commodam,
Tum animo et forma bona bonisque moribus [2].

Cum servus heram adulterii a duobus senibus accusatam esse refert, nihil de hac re credere vult Joachim, sed mœstam conjugem antequam in judicium veniat hortatur damnatamque immota et inconcussa fide solatur :

. . . . . mori lubet
Tecum, ut idem nos tumulus tegat, sicut quoque nos torus
Idem habuit [3].

Non modo ne exitu quidem comœdiæ *Susannæ* putavit Frischlinus se piæ uxoris sanctitatem satis laudavisse, sed tertium quoque comicum opus scripsit, quo demonstraret quanti in connubio facienda esset religiosissima castitas. Hildegardis enim, a qua tertia comœdia (1578) nomen duxit, in idem discrimen venit ac Susanna, falsa quoque accusatione insimulata. Namque dum Carolus magnus bellum contra

1. *Susanna*, Act. III, sc. 3.
2. Id. Act. III, sc. 1.
3. Id. Act. IV, sc. 7.

Saxones gerit, uxorem Hildegardim frater Talandus, cui imperium rege absente commissum est, scelesto amore prosequitur. Cujus vitandi causa docilem animum fingit regina Talandumque dolose in ergastulum includit. Redeunte autem conjuge, timet ne ille a nefario fratre pœnas luat maximas et corruptorem e custodia emittit. At ille fratri statim occurrit reginamque ipse accusat, quæ turpissimæ vitæ testem semovere voluerit. Verbis dat fidem captivi squalor juratque Carolus se de infidele uxore gravissimum supplicium esse sumpturum.

In eodem quoque periculo versabatur Susanna. Cum autem illa claræ ac firmæ mentis mulier sibi nihil mali conscia esset, Hildegardim sua perdidit muliebris astutia ac ingenita humanitas. Imo conjugem habet virum iracundum, ferocem, ad suspicionem pronum; Susanna vero, mitem et prudentem. Non exspectat igitur Hildegardis donec eventus innocentiam demonstret; aufugit, sed fugiens semetipsam accusare videtur. Tum demum in palatium regis reducit, quæ falsam accusationem a se refellat. Carolus autem, cujus animus errore tenetur, miseram mulierem supplicio capitis affici jubet. A quodam generoso equite tantum servata, Romam fugit. Hic vero miraculo opus est, ut innocentia reginæ omnibus oculis pateat: data enim a Deo potestate ægrotos curandi, sese insontem esse demonstrat.

In his tribus comœdiis, quibus etiam quarta, *Frau Wendelgard*, — ea autem germanice scripta (1579), — jungi potest, sanctissimæ uxoris imaginem ætati suæ præbebat Frischlinus. Cum autem præclaris exemplis ostendisset qua religione conjugium servandum esset, non poterat quin a vituperandis aliorum moribus abstineret. Quod plerumque mulieribus vitio ducitur, idem in feminis illius ætatis poeta reprehendit. Rebeccam laudibus extollit quod alienissima est a plerisque virginibus,

> quæ in deliciis domi
> Ætatulam exigunt, et quas fere sui

Officii pudet ac piget. . . . . . .
. . . . Nostræ virgines
Sibi placent nimisque dant operam ut suis
Placeant amantibus. Itaque noctes ac dies
In omni ætate semper ornari solent;
Semper lavari, tergi, pingi ac fingier.
Postremo quum bene lautæ, ornatæ, sublitæ,
Pictæ ac fictæ fuerint, infectæ sunt tamen [1].

Hæc quidem parvi pendenda sunt, sed propter graviora vitia feminas insectatus est auctor et imprimis levitatem improbat :

Nihil tam mobile est quam fœminæ voluntas, tam vagum
Nihil, nihil tam positum in lubrico quam muliebris animus.
Quot veterum matrimoniorum facta repudia novimus !
Quam multæ, quos amaverunt in adolescentia sua
Post in communi deseruere senectute ! Quoties, Deus
Bone ! anile vidimus divortium ! Quam multarum mulierum
Notus amor notiore odio mutatus est ! [2]

Quos poeta odiosos aut ridiculos efficere voluit, conjugii et virtutis corruptores esse effinxit. Duo senes in *Susanna* jam persæpe conjugalem fidem violaverunt et uxores « anus fœtidas » derident, quas nuper « ob nummos duxerunt viduas » Liberos ita teterrimis exemplis instituunt, ut ab illis puellarum et feminarum fama pro nihilo habeatur. Talandus, Hildegardis seductor, « magnus est quoque moechus mulierum », qui stupris et crapula in gravissimos morbos incidit. Thrasymachus centurio in *Helvetiogermanis*, postquam fœdam sed divitem uxorem duxit, rem perdidit fortunamque bello tentare voluit ; sua autem sententia,

. . . satius multo accumbere scorto
Quam scuto.. [3].

In *Prisciano* Quodlibetarius sacerdos vapulat, quod rustici cujusdam uxori stuprum facere voluit. In *Phasmate* crebro

1. *Rebecca*. Act. III, sc. 3.
2. *Hildegardis magna*. Act. III, sc. 3.
3. *Helvetiogermani*. Act. I, sc. 3.

vertitur Papistis crimini, quod turpissimam vitam ducunt. Apud *Julium* quoque *redivivum* jubet dux Hermannus, militem in carcere teneri, qui virgini obtulit vitium. Allobrox denique mercator et italicus caminarius in eadem comœdia ob morum pravitatem acriter a poeta reprehenduntur.

Lutheranis Reformatoribus inserviebat Frischlinus, cum in comœdiis flagitiosos impudicosque carperet homines, castam autem et puram uxorem laudibus extolleret, qui non solum vitæ sanctæ ac veræ religionis defensor et custos prodibat in scenam, sed et Rempublicam et Principem ipsum pro viribus sustinebat. Seditionibus, quæ superiori sæculo Sueviam miscuerant, mores rudes ac pravi evaserant. Dux autem Christophorus, cui contigit ducatum in pristinum ordinem aliquantum reducere, utile habuit durissimis pœnis adulterii scelus prosequi. Successor Ludovicus, auctoris nostri patronus pari severitate leges patris confirmavit. Imo Frischlini adversarii, qui ob insectationes in nobilitatem perdere non potuerunt, dum crimen adulterii nostro poetæ inferunt, eum perdiderunt. Suspicio, quæ privatæ Frischlini vitæ inhærebat (et hoc male cognitum atque veteratum crimen videbatur), tantum valuit ut hominem in extremum discrimen adduceret.

Non modo inhonestam vitam eamque a pio conjugio remotissimam increpuit Frischlinus in comœdiis, sed etiam aliud vitium, quo ætas gravius laborabat: ebriositatem dico. Morum corruptelam imprimis crimini verterat nobilibus, quos sub nomine Ismaelis et Talandi et Thrasymachi insectatus est; ebrietatem vero proprium totius Germaniæ esse vitium putat poeta. « Quæ major est pestis Germaniæ, inquit Mercurius, in *Julio redivivo*,

Quam gulæ studium, quam crapulæ, quam temulentiæ?[1]

Omnes enim, quocumque loco ortos, rusticos scilicet[2] oppi-

1. *Julius redivivus*. Act. IV, sc. 2.

2. Dixerat Lieblerus, unus ex « collegio vilaufsauffico » : ich halt kein für ein Bidermann, der sich nicht auch bissweilen dörff voll trincken (*Çelel. Dialog. II*).

danos, nobiles, clericos, doctos , increpat poeta (et ipse non alienus a « peccatillo » fuit) nimio vini studio deditos.

Nobiles autem ante ceteros facetiis salibusque aspergit :

Equidem Germanos hodie reperias præclaro loco
Natos, qui cubitum prius nunquam abeunt quam ebrii,
Non surgunt nisi crapulosi, nec quicquam inceptant operum
Non poti. *Herm.* Novi sane aliquos combibones ejusmodi.
Merc. Qui cyathos possunt vacuare amplissimos, hi maximam
Nunc inter suos laudem ferunt. *Herm.* Non inficias eo.
Merc. Sobrium e cœna desurgere in turpissimis habent [1].

In *Rebecca* ferus Ismael post venationem se vino obruit una cum parasito Gastrode, qui nulla majore cura torquetur, quam quod imminuere ventris capacitas videatur. Aliud ex Talando in *Hildegardi* occurrit nobis exemplum equitis nobilis qui crapulæ indulget. Thrasymachus quoque in *Helvetiogermanis*, juvenis nobili loco ortus, vinosi et temulenti hominis partes tenet. Igitur in multis locis ostendit poeta in quantam turpitudinem nobilitas immoderato vini studio venerit. Imo etiam ægrotum corpus facit ebrietas et homines minime ad Principem serviendum aptos :

In morbos incidunt, podagram, chiragram, hydropem,
Dolorem colicum et similes febres [2].

Medicus Lilius in *Prisciano* aulicos curat eosdemque colicis et hydrope laborantes, « quos causavit morbos intemperantia ». Frischlinus, qui sæpius cum nobilibus in prandiis versabatur corporaque vino madida et morbis laborantia apud amicos equites atque interdum « sudantes, ructantes, refertos epulis tanquam opimos boves aulicos proceres [3] » viderat, ea merito enarrare poterat quæ propriis oculis adspexerat. Haud illepide notavit consuetudinem et propinandi

1. *Julius redivivus.* Act. IV., sc. 2.
2. *Rebecca.* Act. V., sc. 4.
3. *Oratio de vita rustica.*

et propter bonam heri valetudinem in circulis præbibendi atque respondendi :

> Sic solent nunc aulici
> Superis litare, pro valetudine bona
> Suorum principum, hæc vota illorum, hæ preces[1].

Parum autem habuit Frischlinus nobilibus nimium vini studium obtrectare, sed illos tanquam civitati inutiles homines atque Principi infensos esse voluit. Nam nobiles, cum jam non satis esse ducunt Principi largis potationibus inservire, fœda tunc adulatione illius favorem assequuntur, non tam ad rem publicam spectantes quam ad privatam :

> Hodie qui in aulis Principum
> Versantur et consilia rei dant publicæ,
> Multi non domini sed sua commoda promovent[2].

Talandus rationem agendi exponit qua nobiles apud Principem aulicosque in gratiam maximam venire possint

> Studeo singulis placere,
> Facile omnes perferre..... Nulli me præfero,
> Neque culpanda culpo, neque laudanda laudo...
> ..... Tum mores in mensa didici aulicos.
> Non sum disputator ; non sum oblocutor alteri ;
> Non præripio pulpamentum ; non præverto poculum.
> Nam hæ res solæ hodie spectantur ab aulicis : ut tutius
> Nonnulli in Deum quam in hos mores peccari judicent.[3]

Quanta autem humilitate herum prosequuntur, tanta arrogantia utuntur in minores cives, qui Principis adeundi causa in aulam veniunt. Neque fere dubium est, quin Frischlinus ipse de proprio incommodo loqui videatur, dum his versibus inhumanum genus aulicorum increpat :

> Paucos invenias hodie in terra aulicos
> Benigno verbulo hospitem qui impertiant.

1. *Rebecca*. Act. V, sc. 4.
2. *Rebecca*. Act. I, sc. 1.
3. *Hildegardis magna*. Act. III, sc. 6.

Neque ego credo homines esse jam magis asinos
Animis, canes linguis, leones dentibus,
Quam sunt Regum atque Principum satellites[1].

Ferocius enim ingenium præ se ferunt, si cum hominibus inferiore loco ortis versantur. Ismael et Talandus non aliud nisi convicіantes servis et mancipiis imperant eosque verberibus onerant et pecudum more rusticos habent qui in eorum ditione sunt. Quod venatorum vivendi genus est. Quam ægre tulerint rustici nobilium venationes, hi Frischlini versus ostendere possunt.

Deum immortalem! quæ hujus venatoris est
Iniquitas! injuria in hos innoxios
Et immeritos agricolas! Itan' homines
Pecudum ritu tractare istis Satyris licet,
Quasi vero miseri in hoc nati sunt rustici
Venaticos ut alant canes, quibus domi
Quod ipsi edant nihil est. Nam liberos fame
Experiuntur non raro contabescere.
Quæ vero miseria est tot flagris affici!
Sic vapulare! sic ad quemvis aulicum
Nutum intremiscere nec contra audere hiscere![2].

Qui vitam in venationibus jam non degere possunt, quod dilapsa re familiari a sumptuosis deliciis abstinere debent, ad arma confugientes centuriones fiunt. Iisdem autem moribus novas partes agunt neque aliud esse quam prædones cum veste militari videntur.

Qui paternas et maternas res concoxerunt domi,
Qui cædes perpetrarunt, qui incestus, qui parricidia,
Hi nunc condemnantur ad militiam.....
..... Jus et fas putant negotiatorem obvium
Exonerare pecunia; neque hoc modo, sed insuper,
Quod Germanis usitatum dictitant, prædas agunt,
Ex rapto vivunt. Neque jam latrocinia habent infamiam:
Nam desidiæ minuendæ causa isthæc fieri prædicant

1. *Helvetiogermani.* Act. IV, sc. 2.
2. *Rebecca.* Act. II, sc. 4.

Et propter juventutem exercendam.....
Cæsar optime mereatur de rebus mortalium
Si hos centauros exauctoratos redigat in ordinem[1].

Doctissimus vero quisque, qui ingenii felicitate et studiorum laudibus se hominibus meliori loco ortis parem esse æstimabat, insolentiam nobilitatis in eruditos viros ægre ferebat, quanquam commercii societate aliquando jungebantur. Frischlinus, qui nobilibus propter lepidum sermonis genus acceptus erat et sæpius cum illis versabatur, istam arrogantiam expertus est et crassam nobilium ignorantiam in comœdiis notavit. Ridet rudis Ismael fratrem Isacum, quod majorem delectationem ex libris quam ex venatione quærit. His verbis Benzelo, Talandi parasitus, politum et literis ornatum virum ab aulicis minimi æstimari docet:

Si vir bonus essem, si doctus philosophus,
Si clarus orator, si vates elegans,
Prius fame periissem, quam vel unciam
Favoris apud Talandum hunc reperissem[2].

Thrasymachi pater filium in Academiam missurus his consiliis adornat, ut fugiat

..... palliatos Græculos
Capite operto qui obambulant, qui cum libris
Suffarcinati incedunt, qui cum sportulis
Constant, qui sermones inter se conferunt.
. . . . Imprimis abstine in schola
A plebeiis istis et adolescentulis
Gregrariis qui victus gratia student[3].

Hæc de nobilitate ætatis suæ Frischlinus. Eodem tempore, anno 1578, *Orationem de vita rustica* habuit. Nihil autem fere in Oratione[4] crudelius atque infestius dictum reperias

1. *Helvetiogermani.* Act. V, sc. 5.
2. *Hildegardis magna.* Act. III, sc. 1.
3. *Helvetiogermani.* Act. I, sc. 4.
4. V. Strauss. p. 168, seqq.

quam in illis locis quos ex ejus comœdiis retuli. Sæpius enim iisdem utitur verbis poeta quam orator : nobiles hic et illic Centauros, Polyphemos, Satyros similibusque nominibus appellat. In quodam Orationis loco proprie affirmavit : « nihil de Isaci probitate detraxit Ismaelis feritas », quo planius ostenderet Ismaelem tanquam effigiem pravi ac rudis nobilis sibi esse. Attamen nobilitas, quæ Orationem in publicum editam tam ægre tulit, non comœdiis se læsam fuisse visa est. Quam ob causam igitur conticuit, cum fere iisdem verbis pungeretur? Scilicet quia in comœdiis passim spargebantur convicia et a ridiculis personis proferebantur. Totum opus jocus quidam habebatur, quo nemo se offendi posse censebat. Poetam non gravem censorem existimabant, sed scurram, cui multa permittenda erant et cujus versus ad oblectandos adolescentes vel etiam nobiles ipsos scribebantur. At in Oratione loquebatur professor ipse ex cathedra et severis verbis suam ætatem carpebat. Qui comœdiis spectatores sedebant existimare poterant Frischlinum nobiles tantum illius ætatis qua agebatur fabula notavisse. Nam cum Frischlinus adversario Crusio crimini verteret quod adolescentis cujusdam Mentæ comœdiam *Tobiam* approbavisset, in qua etiam nobilitas hoc versu notaretur : « tales sunt proceres juvenes atque aulici plerique nostri hodie », respondit Crusius : « At illa apud Mentam insectatio Nobilitatis non de nostri sæculi nec de Germaniæ nobilibus loquitur, sed de aula impii regis Sennacheribi, quæ sine dubio etiam fuit impia ; et Tobiæ est ea invectiva, non alicujus nostrorum hominum. Quomodo Tobias, quæso, hodie nos et Germanos nobiles insectari potuisset aut voluisset, a tempore et loco eorum remotissimus nec ulla ab iis injuria affectus ? » [1] — Hoc Crusii puerile argumentum est, neque tam ridiculum confutandi genus sibi vindicasset Frischlinus, si adversarii non eo usi essent. Re quidem vera sibi conscius erat poeta

1. Crusius. *Defensio necessaria.*

sinceram imaginem suæ non alienæ ætatis effinxisse, cum ipso verbo *hodie* sæpius designaret quæ tempora in mente haberet. Quod nobiles nihil in versibus comicis reprehendendum invenerunt non magni est æstimandum. Poetam vero constat idem ac oratorem sensisse. Namque sequentibus annis in alia comœdia pristinam insectationem in nobilitatem corrigere voluit. Etenim in *Julio redivivo* (1585) Cæsarem et Ciceronem duxit, « qui non modo rem literariam, sed etiam rem equestrem, qualis utraque jam est in Germania, summopere admirantur »[1]. In eadem comœdia, jam anno 1572 incœpta, quædam in nobiles asperius dicta delevit[2]. Quid multa? Quæ Frischlinus de nobilitate sensit, ea parum hac tardiore retractatione mutanda esse apparent.

Quo magis nobiles deprimeret, ceterarum conditionum virtutes amplificavit, sicut in Oratione agricolis largiores justo impenderat laudes. Ridiculas quidem partes in comœdiis rustici agunt, quos illepidos, ignaros, incultos, mendaces, imprimis gulosos et ebriosos homines fingit poeta. Nihil autem gravissimum illis ut nobilibus crimini vertit. Imo et in comœdiis multa laudanda de agricolis prædicat et sanctos et dulces mores qui humilioris conditionis sunt laudibus extollit. Rusticos quoque magni facit, quod miseris fratribus auxilio veniunt, veram religionem servant et ab hæresiarcharum studio alienissimi sunt.

Cum humiliores homines versibus laudaret Frischlinus superiorisque ordinis viros propter multa vitia lacesseret, Principis causam tuebatur, ut antea, susceptis conjugii laudibus, religionem defenderat. Summæ potestati operam dabat adversus nobiles, qui imprimis in Suevia Principis adversarii fuerant. Censebat enim nobilitatem maximo periculo Principi futuram esse, quod omnia de illius ambitione, Luthero teste,

1. *Strigilis grammatica*. 1587 *(Prolegomena)*.
2. « Cicero Eobanum solatur ne ob acceptam injuriam a paucis quibusdam Cyclopibus animum despondeat..... Cæsar narrat quos Cyclopes in cauponis et tabernis viderit... » (Argumentum Julii Redivivi. Ex Stuttgardiano archivo. fasc. 15 b.).

metuenda erant. « Lutherus, inquit, haud frustra præsagiit fore bellum Nobilium in quo Principes habituri sunt alium hostem quam in seditione rusticana. Nam hæc Rusticorum seditio A fuit, Nobilium vero B erit. O terribile Alphabetum! »[1]. Ad Ducem ipsum scribebat poeta : « Licuit Huldricho Hutteno Nobili avum tuum coram imperii statibus acerrima oratione insectari, proscindere et lacerare : licebit et mihi siccarios meos accusare et innocentiam meam ulcisci legitima vindicta »[2].

Docti enim viri, qui post conditas Academias pluris nunc fiebant, intellexerunt Principem maximo sibi auxilio futurum esse illiusque causam pro recepta gratia adversus homines novo rerum ordini infensos, defendendam susceperunt. Humanistæ igitur sedecimo sæculo pro virili parte ad firmandam summam potestatem operam dederunt neque in hac re germanicarum annalium scriptoribus parvi pretii faciendi sunt. Aliquid in eo genuinum et genti proprium invenimus quod idem post longam annorum seriem animo occurrit. Docti viri in Germania semper operam navaverunt ut patria in unum corpus coarctaretur atque firmaretur. Nostro enim sæculo, his quidem proximis annis, pro maxima parte conatus est eruditissimus quisque ut prope innumerabiles natiunculæ ex quibus constiterat Germania de medio tollerentur et ex pristino rerum statu novus ordo et unum imperium surgeret. Majore autem mente et certiore judicio opus idem aggressi sunt quod Humanistæ pæne inconscii primum susceperant. In tota vero vita Frischlini et in scriptis et in comœdiis apparent nonnulli hujus recentioris ingenii conatus. Quare poetam sensit Princeps haud spernendum imperii adjutorem esse illumque maxima patientia adversus nobiles defendit et ab eorum insectatione servavisset, nisi sua hominem levitas et obstinata indoles perdidissent.

1. Frischlini *Oratio in M. Vaganerum*. Pragæ. 1587.
2. Epistola ad Ducem. 10 jan. 1581. (Ex Stuttgard.archivo. fasc. 10).

III

PRISCIANUS VAPULANS. DE HUMANIORIBUS STUDIIS. DISCIPLINARUM ACADEMICARUM SATIRA.

Quanquam doctorum virorum erat Principi auxiliari atque ejus propositis favere, majore cura eos res sua tenebat, ut propriam auctoritatem jam in diem increscentem tuerentur. Frischlinus fuit inter acerrimos illos defensores, qui pro scientia, id est, ea ætate pro humanioribus studiis summopere decertaverunt.

Jam enim nobilium ignorantiam salibus perfricuerat et arrogantiam quam isti homines erga doctissimum quemque habebant. Quocumque ei occurrit occasio, laudibus extollit quantum et quale pretium ex diligentissima institutione homo referat. Abraham servo Eliezero gratias agit, quod maxima sollertia Isacum erudiendum suscepit.

> Nam ceteri quod faciunt plerumque aulici
> Magistri, ut principes suæ concreditos
> Fidei a studiis ac literis ad otium
> Retrahant, et philosophos contemnere, et viros
> Doctos ridere assuefaciant,..... horum tu nihil
> Eum docuisti, sed ea tantum quæ pium,
> Sapientem laudatumque principem decent [1].

1. *Rebecca.* Act. I, sc. 1.

Joachim, Susannæ maritus, Syriam quam perlustraverat non invitus deserit, quod ibi homines reperiit qui tantummodo armis delectantur et studia nihil faciunt.

Attamen Frischlinus non ducit satis esse studia contra injustum quorumdam hominum tædium defendere ; ea vult et crescere et florere et in majorem existimationem pervenire. Illum enim studiorum ratione hujusce ætatis parum contentum fuisse sentimus, si quid de germanica Academia dixerit et imprimis de nobilium juvenum studendi genere in memoriam revocamus. Thrasymachus in *Helvetiogermanis*, qui solus in scena jam deactam vitam enarrat, nobis exemplo est quid plerique in Academiis, Frischlini tempore, profecerint nobiles juvenes. Jam in tenera ætate nihil cordi habuit præter equos et canes et volucrum aucupium. Quid autem Athenis fecerit, quo pater erudiendum miserat, ipse nobis audientibus narrat :

Erat ibi præcipuum mihi studium lyræ,
Ut noctu obambularem cum clamoribus
Somnosque civium cum strepitu obrumperem ;
Aut ebrius ut adstarem ante fores Chrysidis,
Vim facerem januæ, tumultus ederem ;
Aut picta circumveherer per vicos traha,
Aut obvios vigiles gladio invaderem
Cædesque miscerem, aut alias turbas darem [1].

Hoc lepidum vivendi genus in Atheniensi Academia. Athenas quidem migrabat romana juventus ad perficienda studia. Singula autem si respexeris, non erit dubium Frischlinum germanicam Academiam imprimisque Tubingensem in animo habuisse [2]. Necmihi mirandum, si adversarium Crusium iterum tecte notaverit. Thrasymachus enim in familiaritatem cujusdam professoris venerat, scilicet « Græculi, obstipi, pallentis, luridi, Acherontii, silicernii », cujus fuerat « disci-

1. *Helvetiogermani*. Act. I., sc. 4

2. Scripta est comœdia Brunsvicæ, anno 1588, postquam Frischlinus jam per longos annos Tubingenses collegas salibus perfricuerat.

pulus obediens mensæque convictor plane domesticus », donec uxorem illius seduxit et propter hanc causam ex Academia est relegatus. Querebantur plurimi Tubingæ de morum pravitate apud adolescentes [1], nimiam autem severitatem reformidabant, ne studentium frequentia, quæ jam minor facta erat, decresceret. Quanquam Frischlinus ipse non arrogantior censor levioris juventutis erat et etiam petulanti indoli indulgebat, nobiles tamen istos aspernabatur, qui nihil aliud nisi vitia et crapulam in Academiis ediscebant et aperte fatebatur se ornatum cultumque ingenium pluris facere.

Censet igitur Frischlinus majorem industriam in puerorum institutione adhibendam esse et sequentibus annis studia attentiore cura amplectenda, quamvis a nimia severitate abstinendum sit. Maximo labore et maxima industria fiet vir vere doctus. Eruditum quemque putant inscii homines otiosum esse. Quam falsa opinione decipiatur vulgus, lepida scena in *Prisciano* ostendit poeta. Rusticus Corydon miratus quanta facilitate parvulæ schædæ gratia medicus vel jurisconsultus pecuniam contrahat, filium 24 annos natum ad Erasmum ducit; « namque habet caput, caput, inquam ».

Onerare carrum, stabula purgare pecudum
Et stercorare agros intra annum didicerat.
Erasm. O Corydon, eruditio non ita facile
Acquiritur ut tu censes. Nam quinque aut tribus
Annis vix addiscet quod tu illum mensibus
Duobus apprehensurum speras.....
Non eadem caloni apta sunt quæ musico,
Alii mores requiruntur in his artibus [2].

Hanc scenam vere e vita expressit Frischlinus atque arrogantiam quorumdam perfricuit, tempore quo jam multi ad

1. V. Mohl. *Geschichtliche Nachweisungen über die Sitten und das Betragen der Tübinger Studierenden während des XVI. Jahrh.* Tübingen. 1840.

2. *Priscianus vapulans.* Act. V, sc. 3.

summos locos eruditione evaserant. Sed in *Julio redivivo* majores quoque laudes scientiæ impertitus est, quas in Eobanum Hessum velut in propriam personam contulit. Hic enim in multis rebus Frischlino proximus erat : acri scilicet mordacique ingenio poeta, elegantissimæ eruditionis vir, laudator Principis, cujus facta sine poetarum laudem oblivionem veniant. Quanti auctor bonas artes faciat, ex eo sentias quod hac in comœdia rem literariam in uno eodemque loco cum militari ponit. Quomodo autem humanioribus studiis inservierit, maxime ex *Prisciano vapulante* [1] experiaris ; quæ apud doctos sui temporis culpanda irridendaque habuerit, quos auctores vitandos, quos sequendos voluerit, ex illo opere perspicias.

Nam persequebatur et ut ita dicam ulciscebatur poeta in comœdia parvam existimationem in qua tunc Tubingæ erant humaniora studia [2]. Nec mirum ; Frischlini enim ætate multo acrius quam nunc Facultates inter se æmulabantur. Dux Ludovicus cum Tubingam visendæ Academiæ suæ causa venisset, a Rectore Osiandro acceptus est oratione in qua quæque Facultas secundum æstimationem nominabatur. « Theologica Facultas ist die höchst und fürnembst » ; secundum illam venit juristorum, deinde medicinorum, postremo philosophorum Facultas. Huic etiam censebat Osiander diffidendum esse : « man soll ihr nit gar zu vill zugeben, denn sie hat des vill verderbt in Gottes Wort und Schrifft. Philosophia est bona et mala. Theologia soll der Philosophiæ weit vorgezogen werden » [3]. Ceteri professores se multo præstantiores esse quam collegium philosophicum arbitrabantur et fastidiose in *Artistas* dispiciebant qui ad ima subsellia

1. Scripta est comœdia anno 1578.

2. V. Hartfelder. *Erziehung und Unterricht im Zeitalter des Humanismus* (Schmid. *Geschichte der Erziehung* 2. Bd. 2. Abthlg. Stuttgard. 1889). Cf. Klüpfel, *Geschichte der Universität Tübingen*. Tübingen, 1877. — Roth, *die Universität Tübingen im Jahre* 1577. Tübingen. 1869.

3. Ex *Historia ducis Ludovici* a Jacobo Frischlino, Nicodemi fratre, versibus conscripta necdum inedita (Cod. histor. F. 326, Ex Bibl. Stuttgard.).

redacti erant et eos penes, Tubingæ imprimis, minima erat auctoritas. Fatetur et ipse Frischlinus, qui collegarum superbiam sæpius ægre tulit :

Jurisperiti et Theologi hodie prævalent
Ludimagistris et pluris fit unus hoc
Tempore rudis medicus quam grammatici decem [1].

Sentiebat tamen poeta philosophos in postremum ordinem optimo jure redigi eumque pœnituit quod se theologiæ vel medicinæ studio non tradidisset. Nam primum aliquot annos ad studium theologiæ se contulerat, idque tanto profectu, « ut amici illum salutarent Philosophotheologum et Theologophilosophum ». Unus ex patronis pollicebatur eum « intra semestre gradum doctoralem in hac Facultate cum summa laude assecuturum »[2]. Medicinam quoque didicerat, Fuchsii et Scheckii discipulus. « Unum hoc mihi dolet, inquiebat postea, quod culpa amicorum duodecim nunc annos absum ab hoc studio et quod omnem curam animi revocavi interim ad humaniores artes recolendas et ad tractanda studia poetica, non sine summo rerum, fortunæ et dignitatis meæ dispendio »[3]. Sæpius ultimis vitæ annis eum pœnitebat omne tempus in grammaticas lites consumere. Intelligebat enim non solum ad naturæ dotes vel præclarissimas spectandum, sed etiam qua ratione, quo in campo homines ingenii virtutibus utantur, pendendum esse. Neque tam cæcus erat quin videret virum doctum magis medica arte aut juris scientia proficere quam philosophia. Sed inter philosophos sedebat imis subselliis, et humiliorem locum eo impatientiore animo ferebat quodetiam apud collegas ne philosophus quidem omnino habebatur.

Hac injuria tota in vita laboravit, hoc dolore judicium acrius factum est, et cum vehementer animus læderetur,

1. *Prisc. vap.* Act. V, sc. 1
2. Poppysmi Dialog. III.
3. *Ibid.*

nullus eum latuit error in aliis Facultatibus, nullum latuit vitium. Ceterum apertius notare non licebat ;

> Non est ita
> Tutum aliquid machinari contra Theologos,
> Jurisperitos et medicos qui plurimum
> Hodie in aulis Magnatum possunt [1]

Tecte autem et velut si barbarum dicendi genus quo scholæ prioris sæculi utebantur tantum vituperare voluisset, disciplinam ipsam suæ ipsius ætatis pugnacissimo stilo notabat, eo majore jure quo humanioribus studiis sola prope philosophica Facultas emendata fuerat, dum ceteræ eamdem tritam obsoletamque viam incedebant. Comœdiam igitur si æquo animo judicare volueris, eam non vindicationem modo purioris sermonis esse reperies.

Nihilominus enim obscuram et veteratam scientiam carpit poeta et rude confusumque dicendi genus quo illa utitur. Illiberalem, servilem et putidam eruditionem salibus perfricat, quæ præcipue ex verbis constat et commentariis auctoritateque insciorum illepidorumque interpretum nititur. Hæc est elatior comœdiæ satira, quæ dum verba petere videtur, ad res spectat. Doctissimus enim quisque, cui, salva quidem conscientia, dicendi fartaginem in *Prisciano* deridere licebat, ex comœdia discere poterat ex quo pura ac sincera eruditio constaret et qua ratione scientia discipulis tradenda esset.

Singulas igitur disciplinas poeta comœdia notare voluit, dum veterem grammaticum Priscianum ubique vapulantem et vicissim ad philosophos, jurisperitos, medicos theologosque fugientem ostendit, donec semimortuus Erasmi et Melanchthonis cura sanatur.

Frischlinus principio duos philosophos introduxit, Javellum et Franciscum, de metaphysicis quæstionibus inter se colloquentes. Contentio enim orta est ex epistola quam discipulus,

1. *Prisc. vap.* Act. V, sc. 1.

qui nunc in Parisiensi Academia versatur, ad pristinum magistrum scripsit. Quo philosophorum disputatio tendat, parum refert, sed quid eorum dicendi genus sit, hoc exemplo adumbrare volumus. Agitur scilicet

De mobilitate subjectiva Physicæ deque entitatibus
Formalibus materiæ primæ, et similibus aliis
Realiter et formaliter aut conceptibiliter entibus[1].

Tota autem disputatio intra subtiles distinctiones ac definitiones continetur, quæ tantum ex verbis constant et stolidissimas nugas ex *Obscurorum virorum epistolis* in mentem memorant. Neuter unquam audet propria sententia atque genuino judicio aliquid expromere. Maximi vero momenti est quam auctoritatem accepturus sit discipulus atque num sit de quæstione disputatum omnibus tunc usitatis cavillationibus. Beati Thomæ testimonium imprimis sæpius adhibetur, quo hæc et illa affirmatio probetur aut deleatur : beatum Thomam contra adversarios defendere maxima cura conantur.

Cum autem Frischlinus Parisienses philosophos versibus carperet, qui omnibus in locis ridiculi facti erant æternis Thomistarum et Scotistarum contentionibus, vel Nominalistarum ac Realistarum, Modernorum et Antiquorum litibus, longe abesse videbatur ut Tubingensem Academiam ipsam peteret. Attamen ibi quoque non multos ante annos viguerat scholastica et si non philosophos, certe theologos in duo castra haud secus ac Sorbonistas posuerat. In quo enim contubernio Melanchthon adolescentes docuerat (1514) longum arserat bellum inter Nominalistas et Realistas. Usque in annum 1535 queruntur visitatores, quod discipuli philosophiam incondite ac nullo profectu edocentur. Inutile tempus conterunt professores in longioribus commentariis totosque menses in uno capitulo *Organi* Aristotelici explicando adhibent. Constiterat enim philosophia vel Frischlini ætate impri-

1. *Prisc. vap.* Act. I, sc. 1.

mis in Aristotelis operibus explanandis, nihilque aliud ac logomachiam inutilesque scholasticorum nugas hoc commentarium fuisse compertum est. Jac. Scheckius solus inter Tubingenses Aristotelis commentatores eminuit[1], qui tamen Scotum Thomamque in maxima admiratione habuit : adeo veteratum illud docendi genus posterioribus quoque annis supererat.

Vigebat autem et florebat scholastica etiam alio modo, scilicet in theologorum contentionibus, tum Lutheranorum tum omnium cujusque confessionis defensorum. Non jam apud Aristotelem aut Thomam, sed ex sacris Scripturis argumenta subtilesque distinctiones sumebant. Cum Frischlinus ipse in comœdia *Phasmate* theologicum certamen, non quidem deridendum, sed plane serium, in scenam ducit, quo Lutherus Brentiusque et altera in parte Carolstadius Cingliusque res suas agunt, non pluris nobis faciendi sunt theologi cum suis cavillationibus quam Javelli isti aut Francisci, quos solos pungere visus est poeta. Frischlino non licebat aperte dicere quid de verborum contentione apud theologos sentiret, ne sua religio in suspicionem veniret.

Quod si tamen hujusce ingenium æque judicaverimus, putandum est eum haud pluris fecisse nugas theologorum suæ ætatis quam scholasticorum superioris sæculi. Cujus rei exemplum nobis affert comœdia ipsa. Cum enim Priscianus prope mortuus ingemiscit ac queritur quod ubique vapulat, stupent primum philosophi nostri, Franciscus veterem grammaticum « nimium subtilitare » (lepide satis !) censet, ac denique incipit Javellus multis cum argumentis ex Scoto et Thoma expressis demonstrare hoc fieri non posse ut Priscianus simul in pluribus terrarum locis versetur. Equidem aut decipior aut mihi videtur ibi Frischlinus illam tunc toties agitatam quæstionem de Christi ubiquitate notavisse, ex qua tot bella inter Lutheranos et Cinglianos orta sunt.

1. V. Sigwart. *Ein Collegium logicum im XVI. Jahrhundert.* Tübingen 1890. Cf. Waddington. *Ramus, sa vie, ses écrits et ses opinions.* Paris 1855.

Compertum enim habemus auctorem nostrum liberius his de rebus quam æquales sensisse et propter hanc causam impietatis crimine a Crusio accusatum esse. « Si vitam ejus et perjuria, inquit Crusius, et quod ubiquitatem Chimæram vocat, consideramus, ἄθεος fuit et omni pietate exulans [1] ». Quod Frischlino non licebat, cum puræ religionis defensores cum hæresiarchis certantes in scenam duceret, hoc idem permittebatur, cum philosophos superioris ætatis ficto nomine auditoribus proponeret. Nobis igitur æque putandum est illum et theologicam et philosophicam scholasticam parvi fecisse eumque sub persona philosophi Francisci, cui salutandi causa obvenit collega ut

> Radianti Theologorum apici,.. sacræ scripturæ gazophilacio,
> Hæresiarcharum malleo [2],

Lutheranum quemdam theologum intellexisse.

Sic ex comœdia in philosophos scripta fit satira theologici ingenii, utpote illiberalis, pervicacis, magis ad verba quam ad res spectantis. Quam autem impatiens esset mens theologorum plures Tubingæ experti sunt. Præsertim cum Cancellarius Andreæ, *Concordiæ formæ* auctor, quem propterea Frischlinus « fabrum illum Vulcanum » jocose appellabat, omnibus viris doctis eamdem sentiendi rationem præscribendam voluisset, removerunt se ex Academia quidam professores, inter quos Apianus mathematicus, cum formam nomine obsignare recusavissent. Superioribus annis abierant quoque jurisperiti Molinæus et postea Gribaldus invisi theologis propter suspectam religionem. Vir autem doctissimus Mæstlinus, qui cum Kopernico sentiebat et ut Kepleri magister celeberrimus est, in publicis scriptis, cum theologos metueret, ab antiquis erroribus non dissentire ausus est. Complures quoque inter Frischlini adversarios propter in theologos studium poetam

1. Crusius. *Contra Poppysmum.*
2. *Prisc. vap.* Act. I, sc. 1.

insectati sunt. Toto enim sedecimo sæculo theologica Facultas Tubingensis tantæ atrocitatis famam assecuta est, ut Wirtembergicus ducatus *Lutherana Hispania* appellaretur. Igitur non immerito putandum est, poetam in satira superioris ætatis non solum barbarum dicendi genus apud philosophos sed etiam illiberale sentiendi genus apud theologos versibus notasse.

Medicorum autem insectatio, quibus medicis secundus comœdiæ actus reservatur, non minus quam theologorum ad Frischlini ætatem pertinet. Medici enim omni tempore amplam satirarum scriptoribus præbuerunt materiam, tum vero maxime, cum ars medica incertum iter prætentaret. Acre Frischlini ingenium Facultas medica sæpius experta est; « anno 1582 quinque libros in quibus Astrologos et Medicos vexabat legendos dederat Universitati, sed nemo eos legere voluit [1]. » In comœdiis quoque a salibus non abstinuit. Jam antea in *Hildegardi* medicos deriderat, cum ægrotum Talandum a doctissimo quoque derelictum ostenderet fingeretque eum mulieris industriæ tradi ut curaretur. Dictitabat medicos inscios viros esse, quibus tantum homines occidere fas erat.

Ubi medendo peccaverint, mille effugia, mille inveniunt
Rimas per quas elabantur, ne culpa ipsos penes hæreat.
.... Quum semel aliquod malum
Sanarint, lusciniæ prius defuerit cantio, quam iis
Verborum sesquipedalium jactantia [2].

In *Prisciano* autem acrior satira est, quæ et usum et disciplinam medicæ artis insectatur. Etsi ignari sunt medici, tamen sibi solam medendi curam vindicant neque alios patiuntur ægrotum sanandum suscipere, quem ex medica disciplina occidi volunt. Cum rusticus Corydon medicum Lilium de ægrotanti uxore (hæc vero morbum tantummodo finxit, quæ sacerdoti Quodlibetario accubaret) percontatur,

1. Crusius. *Defensio necessaria.*
2. *Hildeg. magna.* Act. V, sc. 2.

irascitur ille, quod consilium ex anu quadam prius petitum est. Sic, inquit, leves affectus ab ignaris hominibus principio curati in gravissimos morbos evadunt. Hic autem deridet non illepide Frischlinus medicorum quorumdam insaniam qui malum idem ex alienissimis morbis oriri volunt : ægrotus quidam, qui carioso dente vel furunculo laboravit, æque « squinanticus mortuus est ». Sola autem verborum copia doctor medicus differt ab anu medica. Sibimetipsi placet, ut Lilius in comœdia, dum omnia quæ de morbo dici possunt longo sermone annumerat, quaque ratione hic levandus sit demonstrat, quibus remediis, si ægrotans adstricta aut soluta alvo laborat, quibus, si insomnias aut torpidum habet somnum. Utrum sistere morbi cursum an saltem regere possit, nihil refert. Igitur nihil aliud penes medicum est quam morbum ingravescentem observare et lenibus remediis ejus vim, si potest, frangere. Itaque haud mirum videtur, si sæpius æger morbo succubuerit, sin autem evaserit, eum non tam medici auxilio quam firmissima corporis natura servatum esse.

Quapropter adhibebatur ea ætate a medicis non simplex medendi ratio, sed multa ad remedia ex aquis innumeris et iis varie concoctis constantia, ad inutilem syruporum juleporumque copiam sese confugiebant : qua curatione adhibita, censebant facilius occurrendum esse plurimis causis, quas tantum suspicabantur, vere autem explicare non poterant. Hac fartagine occultabatur medicorum inscitia : verbosa loquacitas de morbi causis ac vicibus, eruditæ ac stultissimæ etymologiæ [1] rustico admirationem injiciunt et doctum medicum ignaro empirico longe præstantiorem esse demonstrant. Hæc etiam causa est, cur medici quam plurimos nummos exposcant. Qui enim tot verba de mali natura et

1. Exempli causa: *Scotomiam* vult Lilius in comœdia e *scotos*, id est, videre et *mia*, id est, musca explicari : scilicet muscarum quædam visio. Similes etymologias exprobrabat Frischlinus apud Crusium, quem forte hoc loco petitum esse apparet.

causis perdidit atque tot remedia ad id repugnandum enumeravit, optimo jure multam pecuniam meruisse videtur.

Hæc autem Frischlini satira in usum medicæ artis scripta nihilominus ad ætatem pertinet quam ad superiora tempora. Ars curandi paulum ultra processerat. In accusatione enim quæ in Frischlinum allata est, schæda ab ipso conscripta reperta est, qua ægrotæ ancillæ remedium paraverat. Et hoc remedium, quod ex viginti fere rebus constat, eamdem opinionem de Frischlini arte medica nobis affert quam comœdia nostri scriptoris de illius ætatis medicis nobis attulit.

Non artem curandi solum auctor apud medicos versibus lacessivit, sed etiam illorum disciplinam irrisit. Hoc enim tempore medicinæ disciplina nihil cum medendi arte congruebat. Una vivebant neque alia ab altera aliquid ediscendum aut depromendum esse censebat, ita ut medicinæ Facultas meliori jure tanquam philologiæ Facultatis appendix videretur. Nihil aliud enim professori curæ erat quam ut veterem quemdam scriptorem, imprimis Aristotelem de Physice explicaret. Sæpius rogabat astronomiæ vel philosophiæ professor ut medicæ lectiones sibi mandarentur. Sic Planerus, sic Scheckius vicissim philosophiam et medicinam docuere. Frischlinus ipse ut philosophus has lectiones sibi petiverat. Neque enim mirabantur doctissimi viri tam varias disciplinas misceri. Frischlinus, veterum scriptorum defensor, non poterat quin præstantissimos auctores pro turpissimis commentariis ediscendos vindicaret. Arabibus maxime infensus erat; personæ in comœdia solum fere Avicennam in ore ducunt; ingemit Priscianus, quod

> Solus prope Avicenna, solus Mesve in Academiis
> Loquitur atque uni plus tribuitur Rasi quam ceteris
> Omnibus...[1]

Arabum enim disciplina maxime corrupta fuerat ars medica

1. *Prisc vap.* Act. II, sc. 1.

atque illorum scriptis externa et ex multis constantia remedia in gratiam venerant. Fuchsius, qui Tubingæ Frischlini magister fuerat, valde in Arabes invectus erat et præsertim suis *Paradoxorum medicinæ libris III* eorum errata confutaverat [1]. Cum multis hujus temporis doctissimis viris pro virili parte operam dederat, ut græcorum medicorum scripta, imprimis Galeni et Hippocratis in majore studio apud æquales essent. Græci enim fere omnino ex hominum memoria evanuerant; ne nomina quidem recte nota erant, namque illorum præstantissimi apud multos *Galienus* et *Hippocras* appellabantur. Hos antiquæ medicinæ auctores ac conditores recolendos esse existimat Frischlinus, quamvis a recentioribus scriptoribus non abstineat eosque laudet qui ab ipsis Galeni sectatoribus carpebantur : adeo libero ingenio sententiam hac de re protulit. Vesalium enim imprimis extollit, qui vel Arabibus vel Græcis alienus propriamque ingressus viam, quid tandem disciplinæ medicæ profuerit ostendit. Tubingæ autem magni faciebat Vesalium Fuchsius qui ejus *Anatomen* paucioribus libris comprehenderat. Haud multum forsan intererat Frischlinum ultimos et raros quidem Arabum discipulos deridere, sed illi gratias agendum est quod et ibi verum ostendit iter, bona scripta ex malis et veteratis secrevit et sicut in aliis rebus ita in medica disciplina qua ratione proficiendum esset patefecit.

Haud aliter in jurisperitos, quos tertio comœdiæ actu carpit, invectus est poeta quam in medicos. Hic quoque arrogantiam doctorum petebat, qui innumeris commentariis et nugis juris disciplinam obscuram fecerant. Qua autem ratione simplicissima quæque penitus confuderint et auctoritatem apud vulgus auxerint, amplificandæ pecuniæ causa, poeta lepidissimo joco explicuit. Nullæ fines erant illorum aviditati quam Frischlinus jam in *Carmine de fulmine* his versibus notaverat :

1. V M. Adam. *Vitæ germanorum medicorum.* Haidelbergæ, 1620.

Ambitione, dolis, livore, cupidine, rixis
Rem sacer Antistes Causidicusque gerit[1].

In *Susanna* quoque comœdia rabulorum avidum genus insectatus erat neque candidioris ingenii esse jurisperitos in *Prisciano* effinxit. Rusticus Corydon apud Nevisanum jurisconsultum queritur, quod sacerdos quidam uxori stuprum fecit. Res liquet ; innumeris autem a docto viro interpretationibus adhibitis, nescit jam rusticus, si jus suum obtinere vult, quo sit tendendum. Valde obscuram viam tunc invadendum est : relationes rei scribendæ, testes habendi, præcones mittendi sunt. Hæc omnia nihil aliud proficiunt quam ut a jurisperito maximæ ex rustico detrahantur pecuniæ.

Sed non avidos mores solum causidicorum et jurisperitorum, qui « jura torquent ut pecunias extorqueant[2] », in lucem proferendos esse Frischlinus existimavit, sed etiam hominum scientiam acerrime reprehendit, qui « totidem citant auctoritates doctorum quam verba ponunt » aut loquuntur « intelligentibus leges, non hominibus grossi capitis, qui non intelligunt subtilia »[3]. Neque putandum est illius satiram, quanquam ad superiorem ætatem spectat, nihil ad illius tempus pertinere.

Diuturna enim fuit in Tubingenses juris professores accusatio, quod nimiis commentariis lectiones eorum laborarent. Halbritterus, exempli gratia, totos duos annos in duobus primis Institutionum libris explicandis conterebat. Jurisperitos propter commentatorum notas jus ipsum latebat et hæc legisdoctorum fartago illis omne abstulerat clarum judicium. Non illepide demonstrat Frischlinus virum doctum sine commentario quicquam de jure eloqui posse. Nam cum Priscianus apud Nevisanum et collegam Berberium queritur

1. *De Clade Tubingensium.* Tubingæ 1579. Cf. Strauss. p. 148.
2. *Helvetiogermani.* Act. I, sc. 4.
3. *Prisc. vap.* Act. III, sc. 2,

se a medicis excruciatum fuisse, unamquamque sententiam uterque haud secus ac verbis « ut ait glossa » confirmatam profert; quo nihil magis ridiculum audiri possit, quod de vanissima re agitur. Juris autem disciplinam merito optat poeta ex omnibus vinculis expediendam et ad legum ipsarum originem velut ad purum et clarum fontem esse reducendam. Idem reprehenderant ea ætate præstantissimi jurisperiti Cochlæus et Zasius, quod multi et docti viri juris obscuritate pene delectarentur. Una cum illis purioribus legum interpretibus sentit Frischlinus; illos reconditæ eruditionis ac clari judicii viros ut exemplaria affert; optimum quemque scriptorem suæ causæ vindicat.

Frischlinus philosophos, medicos, jurisperitosque vicissim insectatus est.

Supererant theologi. Lutheranos doctores in scenam ducere non licebat, et quod comœdia de superiore ætate agebatur, et quod imprimis veram religionem vel tecte notare poeta non poterat. « Theologos offendere grave est », ut ex Frischlino ipso sæpius audimus. Quos autem omnino non prætermisit et quid de philosophis initio comœdiæ dixi ad theologos pro parte quadam pertinere censendum est. Neque Augustanæ confessionis theologos attingere potuit, sed catholicos in scenam duxit, ut nulla ex quatuor Academiæ Facultatibus omitteretur. Imo comœdiam satiram barbari sermonis esse voluerat. Quamobrem hi præsertim non negligendi erant qui per tot annos soli linguam latinam foverant edocuerantque. Hi imprimis pœnas erant daturi, quod literarum studia in tantum discrimen adduxerant. Hæc igitur castra optimo jure poeta ingressus est et justiore prælio acerrimisque telis adversarios insectatus est. Ibi enim non umbras modo lacessebat. Apud alias gentes, Humanistas cum antiquæ religionis defensoribus facientes reperias, in Germania autem præcipue cum Lutheranis. Pleraque in agro wirtembergico monasteria ecclesiæ erepta atque in scholas mutata fuerant, quibus nunc præerant Lutherani sacerdotes.

Longa tantum post tempora Lutherani Jesuitas in veterum scriptorum studio æmulos habituri erant. Fœdum igitur latine loquendi genus quod in Frischlini comœdia Breviarius monachus et Quodlibetarius sacerdos loquuntur eodem jure a poeta lacessebatur ac *Obscurorum virorum* putidus sermo in Hutteni *Epistolis*. *Priscianus* enim, si velis, tanquam unus ex ultimis casibus hujus celeberrimi belli existimandus est in quo inter suevicos scriptores non tantum Frischlinus, sed etiam Reuchlinus ac Bebelius, Frischlini quidam frater, haud leves partes susceperunt. Ut autem Huttenus non solum clericorum sermonem, sed etiam mores lepidissime carpserat, ita Frischlinus satiram non modo literariam scripsit, sed Papistarum vitam ac religionem insectatus est. Hæc autem paulo post explicanda sunt.

Cum vero superioris temporis fœdum dicendi genus in hoc comico joco poeta reprehenderet, suam quoque ætatem haud prætermittebat. Gloriatur enim in *Strigili grammatica* quod « Priscianum contra vim superioris sæculi et barbariem Javellorum *et consimilium* defenderit [1]. » Non inutile erat ingenia revocare, barbariæ iterum invadentis formidine terrere, et quos jam pulcherrimos fructus hoc antiquitatis studium edidisset ostentare.

Tempore enim quo Frischlinus scripsit comœdiam, non jam vigebant latina studia, atque ardor quo superior ætas bonas coluerat artes paululum evanuerat. In Suevia quidem non eodem amore humaniorum studiorum flagrabant animi quo in Italia Galliaque aut etiam in aliis Germaniæ regionibus. Principes nullam aut parvam tantum gratiam in Humanistas contulerant. Dux Eberhardus Barbatus illos minimi faciebat quos novitatum fautores habebat eosque putabat aliquid periculi adhuc teneræ Academiæ allaturos [2]. Bielus Theologus, qui prioribus annis maximas partes ad constituendam Tubin-

1. *Strigilis grammatica*. Dialog. III.
2. V. Pfaff. *Versuch einer Geschichte des gelehrten Unterrichtswesens in Wurtemberg in älteren Zeiten*. Ulm. 1842.

gensem Academiam obtinuerat, auctoritate sua ita usus est, ut professores qui cum Humanistis faciebant seduceret. Ceterum suevica indoles, utpote gravior, magis in rebus quam in verbis hærebat. Præclarissimus ex suevicis Humanistis, Reuchlinus, majorem curam religionis quam literarum causæ impendit seque non tantum ad latinæ quantum græcæ aut etiam judaicæ linguæ studia contulit. Bebelius autem, qui plus quam ceteri optimo jure Humanista dici potest pro futili ingenio, poeta aut etiam scurra habitus est, aliquantulum ut Frischlinus ipse noster, quocum multis in rebus congruit. Cui idem ac Frischlino accidit, cum in collegium philosophicum nunquam acceptus esset et quasi extra Academiam per totam vitam versatus esset. Exempla igitur elegantissimæ eruditionis, quæ auct or in *Prisciano* aut in *Julio redivivo* auditoribus proponi voluit apud exteros sumenda fuerunt : Melanchthon, Erasmus, Eobanus Hessus. Neque solus existimabat latina studia in patria non tantum florere quantum optandum esset. Camerarius enim, Melanchthonis discipulus, qui anno 1535 Noriberga Tubingam venerat, querebatur quod cum incultis hominibus versaretur et his verbis ad Hessum scribebat : « Möchtest du doch zu uns kommen, denn die schwäbische Nation ist leider ἄμουσος ; vielleicht stand sie früher dem Dienst der Musen nicht fern, aber jetzt ist sie durch die langen Kriege ganz verwildert » [1]. Quanta difficultate non illoti homines in Suevia latina lingua uterentur proverbii loco apud alias gentes habebatur atque irridebantur adolescentes in exteris Academiis, quod nihil aliud ac quoddam *Hechinger Latein* loqui poterant. Anno 1559 decanus Toxites de adolescentium inscitia querens « nullum dicebat recte latine loqui posse, quod autem non mirandum, quum magistri ipsi parum intelligerent » [2]. In *Oratione de exercitationibus oratoriis et poeticis* (1587) ingemiscit Frischlinus ipse quod in

1. V. Bender, *Gymnasialreden nebst Beiträgen zur Geschichte des Humanismus und der Pädagogik*. Tübingen. 1887.
2. V. Bender.

scholis germanismos et barbarismos facere docentur hodie pueri eosque secum in Academias afferunt ». Crusius quoque, qui hic cum adversario idem sentit, in diarium notavit : « pura Ciceronis dictio evanescit, obsoletum ornatum genus scribendi et antiquæ obscuritates emergunt » [1]. Usque in annum 1627 querebantur visitatores in antiquis scriptoribus tantum locos politicos et ethicos edisci, « hingegen bleibe die lingua latina und deren elegantiæ dahinten, da man doch vor allen die linguas daraus lernen sollte » [2].

Frischlinus ipse poema cujusdam studentis quod judicandum acceperat in auditorio non illepide explodit, Priscianum dialogo inducens qui velut in comœdia solœcismos pravosque versus reprehenderet. Multos etiam sermonis errores in alius adolescentis comœdia a Crusio approbata et bis Tubingæ acta invenit. Quid ? non solum apud juventutem academicam, quod non mirum est, sed etiam apud Tubingenses professores ac ducatus ludimagistros imperfectum latinæ linguæ usum sæpius damnavit. Mæstlinum imprimis, virum de re astronomica bene meritum, salibus perfricuit. Si Frischlino credendum, Mæstlinus ultra mathematicam scientiam « occisa sus » fuit. « Quam enim elumbis et rancidus sit declamator, hoc anno 84, ego in promotione Baccalaureorum autumnali hisce auribus cum fastidio audivi. Talem enim orationem habuit quæ ferula debuisset castigari. Quam malus sit grammaticus, hoc præfatio Astronomiæ ipsius docet, quæ solœcismis et barbarismis scatet » [3]. Locos ex Mæstlini libro in tertio dialogo *Celetismi* affert, de quibus Heraclites, unus ex dialogi interlocutoribus, quoque audito errore ingemit : « eheu ! eheu ! væ Prisciano tuo ! » Apud alios quoque, apud Burkhardum et eruditissimum collegam Crusium, fæces grammaticas invenerat Frischlinus. Melanchthonem dicebat sæpius Tubingæ crudelius quam Priscianum suum vapulare. In his plus iræ quam veritati indulsisse Fris-

1. V. Klüpfel.
2. V. Pfaff.
3. *Poppysmi Dial. III.*

chlinum fatemur, non autem omnino illi diffidendum esse, cum compertum habeamus Cancellarium hujus grammaticam quam judicandam susceperat rejecisse tanquam nimis doctam et judicium suum his verbis resumpsisse : « hunc esse finem sermonis latini ut alter alterum intelligat, quoquo modo tandem loquamur ». Optimo jure tum incendebatur Frischlinus : « Loquamur ergo, aiebat, posthac ex Epistolis obscurorum virorum et Prisciano vapulante, neglectis epistolis Ciceronianis »[1]. Hoc igitur certamen de puriore latina lingua in ultimis sedecimi sæculi annis non omnino supervacuum erat neque forsan immerito poeta spectatores ipsos postrema in scena his versibus monuisse videtur :

Vos autem, quia et ipsi colaphos mihi impegistis plurimos,
Necdum veniam a me petiistis, tum demum eam impetrabitis,
Si et post graves a me atque injurias abstinueritis manus[2].

Personas quidem in comœdia notare non licebat, sed hunc et illum ex collegis et Tubingensem Academiam Frischlinum sæpius in mente habuisse putamus. Si Melanchthonem audimus de professoribus querentem qui

Præcepta cumulant grammaticæ græcæ atque latinæ et libros
Meos puerorum excutiunt manibus et substituunt
Suos, ut melius scilicet videantur sapere quam ego sapui[3],

quem putes his versibus peti, nisi Crusium, qui grammaticam græco-latinam in lucem ediderat et valde operam dabat ut sui libri in scholas wirtembergicas introducerentur ? Item cum Erasmus laudes in Scheckium fert atque illius memorat *Compendia*

1. *Poppysmi Dialog. III.*
2. *Prisc. vap.* Act. V, sc. 4.
3. Id. Act. V, sc. 2.

E manibus puerorum excussâ ingrati disciputi audacia [1],

intelligebant omnes spectatores Lieblerum, quanquam proprio nomine non appellabatur, versiculo notari. Hæc quidem in collegas dicta raro ac tecte. Locum enim obtinuit *Priscianus* in solennibus quæ de condita Academia Tubingense adornata sunt, neque quicquam reprehendendum invenere professores qui in aula academica comœdiæ spectatores fuerunt. Attamen sensit et ipse Frischlinus lectorem ex suo opere quandam reprehensionem ætatis percipere posse illumque in *Admonitione* obtestatur : « nihil hic taxari, nihil rideri, nihil carpi præter sordidum sermonis genus quod superioribus sæculis omnia artium et doctrinarum studia quasi diluvium quoddam inundavit ».

Vitiatam igitur latinitatem in Prisciano imprimis petitam fuisse censendum est. Frischlinum autem non solum ad verba, sed etiam ad res spectasse, neque tantum de superiore ætate, sed etiam de sua satiram scripsisse demonstrare tentavi. In hoc quidem multa forsan a nobis quadam exageratione dicta sunt. Si autem Humanistam solum in Frischlino consideres ac evanescentis latinitatis defensorem, *Priscianum* comœdiam non plane inutile hortamentum de recolendis latinis studiis fuisse sentias.

Quid autem de re ipsa censendum et de Frischlini pervicacitate in lingua latina instauranda? Quid de hominis judicio qui suspecta quæque aut inaudita verba explodebat neque aliter quam ex purissimis scriptoribus quemquam loqui patiebatur? Crasso in errore poetam versatum esse jam confessi sumus, quo ingenia a genuinis operibus remota sunt.

1. *Prisc. vap.* Act. V, sc. 2. — Hic versus quidem in sequentibus editionibus ab auctore deletus est. Nihilominus octo post annos eumdem versum adversarii Frischlino crimini verterunt. Cf. Frischlini epistola ad Ducem, 14 janv. 1586. Ex Stuttgard. archivo. fasc. 14.

Uberiores fructus edidissent plures, si non omne studium ad imitandum veterum auctorum scribendi genus contulissent. Quadam tamen ex parte de re literaria optime meriti sunt Humanistæ. Non quod antiquitatem clariore mente intellexere et interpretati sunt : quod non tanti faciendum est. Sæpius enim graviter ipsi errore decepti sunt, atque sine eorum meritis eamdem antiquitatis cognitionem assecuti essent recentiores, puriorem quidem ac perfectiorem. Nempe quæ de antiquis scimus, ea non solum ex illorum libris, ut Humanistæ, sed etiam ex annalibus historicis, monumentis, inscriptionibus aliisque rebus comperimus. Alia vero et majora sunt in literas Humanistarum merita. Quam prior ætas instruxerat disciplinarum congeriem, eam de medio tulerunt eruditissimi viri. Quippe superioribus sæculis scientia paucissimis opibus nixa, turbatis temporibus impedita, ecclesiæ arrogantia in suspicione habita, superstitionibus atque innumeris ineptiis aspersa, sæpius hominum imaginationibus atque inanibus somniis deducta, in horrendam confusionem quamdam evaserat. Quidquid veri invenerant veteres auctores commentatorum fartagine omnino perturbatum fuerat; quidquid novi propriis studiis recentiores attulerant tot et tantis erroribus ac vitiis permixtum erat, ut tumultus major esset. Agrum igitur omnino repurgandum et novis disciplinis præparandum Humanistæ susceperunt.

Ad scientiam ipsam augendam parum contulerunt, quod nimiam in scribendi genus impenderunt curam. Retro quidem se viam repetere non existimabant, sed re ipsa disciplinis minorem operam navaverunt quam scholastici isti homines quos insectati sunt. At dum retrocedebant, multo citius et tutius successores erant progressuri. Cum priore ætate nihil facere voluerunt et omnibus excussis vinculis nulla alia nisi humaniora studia passi sunt. Quid enim aliud optat Frischlinus quam philosophiam et juris medicinæque disciplinam veterum auctorum scriptis renovari et augeri? Animum forsan doluit quod et theologiam ad vivum et purum antiquitatis

fontem reducere non licebat. *Priscianus* igitur comœdia quasi unum ex multis certaminibus considerari potest quæ Humanistæ cum pene desinentis medii ævi hominibus inierunt. Non solum enim linguam latinam, sed etiam omnia scripta doctorum ac theologorum superioris ætatis condemnat. Indigesta librorum moles qua strenuo medicamento Prisciani alvus levatur, quid aliud indicat quam omnia quæque veterata,inutilia, non jam genuinis ingeniis legenda esse ? Antiquorum libellorum pervicacia quædam est ; referebat igitur Frischlinum illos severissima censura notare illisque maculam inurere. Eamdem quoque ob causam quid bonum, quid memoria dignum, quid ediscendum esset auditorum animis inculcabat. Neque enim veteres scriptores tantum in nobiliori loco reponi volebat, sed quidquid sua ætas tum in philosophia tum in juris ac medicinæ disciplina præclare scriptum protulerat. Itaque non solum de humanioribus studiis, sed etiam de ipsa scientia optime meritus est.

Jam Frischlini tempore ingenia, vinculis superioris ætatis liberata, propriam viam ingressa erant. Aperte vero demonstrabat poeta in comœdia singulas disciplinas quotannis in melius evadere, et deteriora quæque e medio tollenda esse, ut melioribus cederent. Numina quidem in *Prisciano* deriderat quæ jam nulla religione tenebantur, sed tantummodo ut intelligerent auditores nullius in verba jurandum esse magistri, et si quid melius animo occurrisset, id extemplo esse capessendum. Idem proprio exemplo ipse docuit. Indignabatur enim grammaticus, quod optima quæque recentiorum auctorum scripta ignorabantur; « jurare ausim ego, scribebat ad Ducem, neminem esse in toto tuo ducatu ex universo literatorum grege qui Aug. Saturnium habeat, paucissimos vero qui J. Cæsarem Scaligerum aut F. Sanctium, recens editos auctores, legerint [1] ». Adversarii autem, qui Frischlini inquietam mentem et affectatam novitatem exprobrabant,

1. *Strigilis grammat. Dial. I. Præfatio.*

inconstantiam comœdiæ insectati sunt, quod auctor Melanchthonem illum, Germaniæ præceptorem, quem maximis laudibus in comico opere prius extulerat, nunc in sequentibus scriptis ob grammaticos errores sæpius taxabat. « Et quis tam amens sit, respondebat Frischlinus, ut neget Philippum a Scaligero fuisse reprehensum, aut quis tam vecors sit, ut credat a Philippi excessu studium literarum apud omnes posteros ita decrevisse, ut hoc sæculum nihil videat amplius in studiis doctrinarum quam quod vidit Philippus aut Linacer ?[1] » Scaligerum igitur, Saturnium, Sanctium, Verrepæum, J. Lipsium pluris quam Philippum facit illiusque grammaticam fatetur « multis adhuc tam veterum quam recentium grammaticorum nugis scatere[2] ». Imo Priscianum ipsum non jam pro numine adorat ; » non pluris apud me valet Prisciani auctoritas, inquit, si pugnat cum usu sermonis.[3] » Haud aliter in omnibus rebus sentiebat Frischlinus : amicus enim Philippus, amicus Priscianus, sed magis amica veritas.

Hactenus laudandus est poeta. Una autem prope cum adversariis sumus, quos ob pravum dicendi genus salibus perfricuit. Magno enim errore censebat Frischlinus atque ceteri Humanistæ linguam latinam suæ ætati sufficere. Literariis tantum et grammaticis rebus, id est disciplinæ quam antiqui prope solam foverant, ipse curam ita impenderat, ut facillime verbis volvere sententias et purum latinum sermonem in omnibus rebus servare posset. Cum autem extra hos fines angustos viam nondum a Latinis tritam ingrederetur, Frischlino censendum esset in novis rebus et nova verba adhibenda esse. Non enim satis compertum habuit linguas in æternam mutationem evolvi. Latini sermonis peritissimus vir fuit, sed non tam peritus ut sentiret vel optimorum scriptorum dicendi genus cum unaquaque ætate mutatum fuisse. Minus tunc offensus esset superiorum doctorum barbarismis.

1. *Strigilis grammat. Dialog. I.*
2. *Poppysmi Dialog. II.*
3. *Celetismi Dialog. I.*

Cum autem Humanistarum tanta pertinacia erat ut nullo alio stilo uterentur nisi probatissimo latino, non poterant quin quod antiqui semel ac melius dixissent iterum repeterent, aut si novam materiam tractandam susciperent, obscura vel longiori et tarda demonstratione laborarent. Neque dicendi præstigias de quibus Frischlinus tantum gloriatus est, ulli argumento esse censendum est. Qui enim plane intelligere voluerit quæ poeta de horologio Argentinensi, de scopleto adhibendo, de fabricanda schæda, aut de libris prælo excudendis dixerit, eum maximo studio multos latinos scriptores evolvisse necesse est, quod non ab omnibus æque exigendum est. Melius sensisset auctor, si novis fictis verbis veniam dedisset, quibus sermo clarior fit et brevior. Nemo apud recentiores gentes offenditur peculiaria quæque peculiari dicendi genere exprimi neque omnia trito sermone dici posse. Verborum enim novitatem Frischlinus ipse non omnino vitare potuit. Cum in comœdia Phasmate adversarios de theologicis quæstionibus inter se certantes in scenam duxit, eodem abstracto dicendi genere locutus est, iisdem Ciceroni aut Cæsari ignotis verbis usus, quibus solum suam sententiam exprimere poterat, neque alium sermonem adhibuit quam quem in ceteris operibus derisit. Ea inconstantia tacite confitebatur non in omnibus latinam linguam sufficere et recentiorem ætatem a Romanorum sententiis ac rebus tantum abesse ut posteris ex antiquorum scriptorum studio paucissimi colligendi essent fructus. Doleant quidem alii et macerentur latina studia in annos infirmari et diem reformident quo Priscianus hac in Sorbona non jam vapulabit; nobis vero optandum est ut leviora fiant vincula quibus erudienda ingenia Humanistæ constrinxerunt. Scientiam enim quam una ex parte liberaverant, ex altera compedibus et ipsi vinxerunt. Sua autem severitate rem perdiderunt Humanistæ, quibus certe ignoscendum est, quod nonnulla beneficia in instaurandis disciplinis contulerunt.

IV

PHASMA. DE RELIGIONE

Qui eodem fere tempore res sacras Reformatione renovandas susceperant non aliter sentiebant ac humaniorum studiorum fautores. Quidquid enim per longam annorum seriem vitiosum ac superstitiosum in rebus divinis, hominibus traditum fuerat, evertendum esse existimaverunt et ad purum religionis fontem, ad Christi disciplinam esse revertendum. Nempe ita ex sacris scriptis clariorem simplicioremque doctrinam optabant qua homines rectius vivendi rationem docerentur, ut Humanistæ ex antiquis libris minus confusa exemplaria requirebant ad informanda hominum ingenia. « Tantum interest scholasticæ reipublicæ, aiebat Frischlinus ipse, repurgatam et omnino defecatam habere grammaticam, quantum interest Ecclesiæ puram habere et purgatam ab erroribus religionem[1]. »

Cum autem novas res et hi in religione et illi in re literaria tentarent, quid mirum si alii aliis opem tulerunt et causam junxere? Jam id quod sibi Lutherus proposuerat comicis operibus Humanistæ commendabant. Quidquid enim in eorum scenicis scriptis ex antiquitate non est desumptum, quidquid in illis genuinum ac germanicum, ex Reformatione habent.

1. *Celetismi Dialog. II.*

Ut paulo ante demonstrare tentavi, comici poetæ atque ipse Frischlinus Luthero de matrimonio emendando magnam operam navare voluerunt. Reformationi acrius inservierunt libellis, qui nihil aliud cum dramatico genere commune habent quam dialogi formam. Qui libelli cum ex sacra quadam quæstione explicanda, tum ex satira in Lutheranorum adversarios scripta constant. Nam in his dramatibus, quæ prope innumera exstiterunt, præsertim ætate qua Reformatio multa conseruit certamina, haud infelicem invenias artem Romanas superstitiones et omnia Papistarum vel certa vel falsa scelera deridendi et insectandi.

Jam ex *Prisciano* constat Frischlinum in Pontificiales carpendos nullum adhibuisse modum. Si autem *Phasma* comœdiam[1] respexeris, quæ tantum ad religionem spectat, multo clarius senties quam acriter de rebus sacris apud Humanistas decertatum sit. Frischlini tamen ætate haud dubiam victoriam de Papistis retulerant in Suevia Lutherani[2], neque ulla causa adesse videbatur cur Frischlinus in victum hostem tela perderet. Sed ex Lutheri victoria multæ exstiterant tum factiones valde reformidandæ imprimis Calvinistarum et Cinglianorum, tum hæreses, veluti Carolstadiorum, Schwenkfeldianorum Monetariorumque.

Gens enim suevica acri subtilique judicio et vivaci ingenio hæresiarchorum insanis somniis atque nugis faciles aures præbuit. Thomas Monetarius in Suevia multos discipulos adeptus est, quorum celeberrimi Sattlerus et Reiblinus consortiones condiderunt, quas etiam nostro medio sæculo non omnino exstinctas esse compertum est. Theologus Hubmaierus, qui commercio quodam cum Monetàrio jungebatur, etiam Balingæ, qui vicus nostri Frischlini natalis erat, orationes habuerat. Esslingæ vero imprimis pervaluit Ana-

1. Circa annum 1580 scripta, anno 1592 jam mortuo auctore in lucem edita est.

2. V. *Württembergische Kirchengeschichte*, hg. von Calwer Verlagsverein. Calw und Stuttgard, 1893.

baptistarum doctrina. Carolstadius autem ac Schwenkfeldius [1] qui sæpius in agro wirtembergico versati erant plurimos in disciplinam adduxerunt, præcipue inter nobiles, quos Frischlinus in *Oratione de vita rustica* de hac re accusavit, etiam inter doctos viros. Traditur enim suam medico Siderocrati Tubingensi anno 1568 cathedram ablatam esse, quod ei Cancellarius Andreæ Schwenkfeldianas opiniones crimini verterat. Carolstadii vero verba maximam apud vulgus gratiam invenerunt. Turba enim ex illius orationibus quidquid in civium æqualitatem, quiquid in tyrannorum immanitatem, quidquid ad mutandam plebis miseram conditionem dicebatur, avidissimo animo hausit. Quare omnibus rusticorum seditionibus, quæ annis 1502 et 1514 (hæc *Bundschuh,* illa *armer Conrad* dicta) et imprimis anno 1524 ortæ sunt, tentatum est ut ex novis doctrinis novus ordo rerum institueretur. Quæ turbæ a Principe graviter sunt compressæ et ita operam dedit dux Christophorus et postea dux Ludovicus ut cujusque tumultus auctores ab incœpto omnino abstinuerint.

Quod si memoria seditionum diu permansit, permansit quoque metus ne iterum caput attollerent rustici. Idcirco non dormitabant Principes et hæresiarchas quoquo se confugerant insectabantur [2]. Anno enim 1571, dux Ludovicus, patris exemplo, in Anabaptistas severissimas leges tulit; anno autem 1584, Principis consiliarii majorem etiam severitatem in sectas expetiverunt et quidquid ab illis prælo commissum et in lucem editum erat acriter conquisitum est. Maximo crimini Frischlino post habitam *Orationem de vita rustica* verterunt adversarii, quod immoderatis in agricolas laudibus, rebellandi studium foveret. Hic metus quidem nimius erat, sicut hoc crimen injustum. Namque quam gratiam ex suis auctoribus exceperant hæreses, eamdem, iis mortuis, perdiderunt. Discipuli minore eloquentia aut minore sinceritate

1. V. Jäger. *Carlstadt.* Stuttgart, 1856. — Kadelbach, *Geschichte Schwenkfeld und der Schwenkfeldianer.* Lauban, 1861.
2. V. Crusius. *Annales suevici.* Francof. 1596.

præditi non jam eumdem favorem apud vulgus invenere et rabularum nebulonumque artificiis corruptæ doctrinæ sensim in oblivionem venerunt. Præterea prioribus quidem annis, turbatis omnibus rebus et labefacta Principis auctoritate, valde increverant; redactis autem populis in pristinam ditionem, hæreses cum rusticis seditionibus prope evanuerant. Postremi sectarii vitam in tranquillitate degebant aut Ulmis ratibus impositi per Danubium in Moraviam exulatum abibant. At studium hæresis adhuc vigebat et propensa in mysteria populi voluntas erat[1]. Sagæ urebantur sæpius in agro wirtembergico[2]; Frischlinum ipsum compertum habemus quadam die Rothenburgam migravisse, ut octo sagas comburendas intueretur, quod hujusmodi spectaculum nondum conspexerat. In comœdia igitur, quæ sectarum studium increpabat, Frischlinus sua cum ætate faciebat. Imo opus nondum omnino veteratum nobis putandum est, cum recens quidam *Phasmatis* interpres in germanicæ versionis præfatione lectorem monuerit ne quis translato libello præsentis ætatis opiniones sectarias tecte notasse credat[3].

Evanescentibus quidem sectis nulla fere salus erat quam latendi aut exulandi. Multo majus autem periculum afferebant rebus sacris religiosæ factiones, tum Calvinistarum, tum Cinglianorum, quibuscum etiam hæresiarchæ in multis rebus conveniebant. Hæc enim factiones quæ in Wirtembergicorum finibus multum invaluerant, præcipue apud vicinos Helvetios, haud parvi faciendæ erant et puram Lutheri doctrinam vel jam corruperant vel eam erant corrupturæ. Omnis Frischlini ætas litibus cum Calvinistis et Cinglianis laboravit. Andreæ, Academiæ Tubingensis Cancellarius, totam pene vitam degit in

1. Sectarum favor apud suevicos populares adhuc proverbii loco habebatur. Drey ding verderben Wirtemberg. 1. Widertäufer. 2. Sakramentirer, 3. Schwenckfelder (Opusculum sub titulo *Tria Wirtembergica* manuscripto Jac. Frischlini de *Ducis Ludovici Historia* adjunctum.

2. Sagas XLI hoc tempore (1562) comes Helffenstainius Ulricus combussit ». (Crusius, *Annales suevici*).

3. N. Frischlin. *Die Religionsschwärmer*. Aus dem Lateinischen übersetzt von Koch. Stuttgard, 1839.

legationibus, conventibus colloquiisque, quibus infinitæ contentioni oppugnandum esse censebant Lutherani. Ex tot et tantis laboribus exstitit *Concordiæ* illa *forma* (1577), qua singuli Augustanæ confessionis articuli certa definitione in æternum constituendi erant. Plana igitur in religione consensio paulo post Frischlini obitum (1590) exstitisse videtur. Quare comœdiam *Phasma* existimandum est ad æquales spectasse, etsi poeta ipse superiorem ætatem tantum in mente habuisse fatetur.

Tunc enim respicienti quomodo Reformatio in agrum wirtembergicum introducta fuerit, nullus contentionum finis futurus esse videbatur. Nam diu in incerto natio fuit, utrum Lutheranam confessionem, an Calvinianam Cinglianamve sequeretur. Dux enim Ulrichus, qui, Helvetiorum auxilio fretus, se ducatum in suam ditionem redacturum sperabat, primo Cinglium magna in gratia habuerat. Turicensis Reformatoris doctrina valde evaluerat in Suevia, imprimis in imperialibus civitatibus. Ulmis dictitabat inclytus prædicator Samius : « Brot bleibt Brot, ob alte oder neue Päbstler darum tanzen. » Naogeorgius anno 1563 Esslinga invitus recessit, quod prope idem ac Cinglius docuerat. Blarerius, quem dux Ulrichus, novæ ecclesiæ informandæ gratia, vocaverat, multum ad evulgandam Cinglianam disciplinam contulit. Grynæus quoque, qui Basilea Tubingam Principis jussu venerat, cum Cinglio faciebat. Hac autem ratione multi Tubingenses professores a Cinglianis doctrinis non omnino alieni fuerant. Scheckius, Aristotelis doctus commentator, cujus Turicenses testimonium invocaverant, propter hoc ipsum in suspicionem hæresis venit. Cinglii fautores sinceris Lutheranis tum primum cesserunt, cum, mutato rerum statu, Dux Helvetios deseruisset et apud Germaniæ Imperatorem maximam operam quæsivisset.

Eodem autem tempore Calvinistæ quoque suevicum agrum invaserant. Dux enim Christophorus, cum in Monte Belgarum exsul juventutem degeret, cum G. Farelio versatus erat,

ideoque timebant plurimi, ne omnino Calvini partes ageret. Multos amicos, etiam inter doctos viros, habuit in Suevia Calvinus. Diu igitur perstitere contentiones cum Calvinistis neque ab illis alienus fuit Frischlinus noster. Doctus enim theologus eo tempore tantas laudes controversia in Calvinistas assequebatur quantas posterioribus annis in Jesuitas insectatione. Anno 1584 a visitatoribus mandatum est ut juvenes, qui in Tubingense Academia propter Calvinianas opiniones suspecti habebantur, intentiore cura asservarentur, atque anno 1594 apud bibliopolas inquisitum est, ne hæreticos libros, imprimis Calvini, Bezæ, Aretini, Piscatoris, detinerent atque in vulgus proferrent.

Ex tam diversis opinionibus exstitit in Suevia peculiaris quidam religionis status. Alia enim ex parte fanaticus furor, ex alia autem, saltem apud superiora ingenia, liberale judicium facileque in alios non identidem sentientes. Plures ex doctis viris maluere Tubinga recedere quam ut largius sentiendi genus denunciarent et iniquis atque atrocibus moribus uterentur. Non erat quidem Frischlinus tam firmæ indolis ut tanta severitate vitam sententiis accommodaret. Imo si comœdiam *Phasma* respexeris, ipse cum hominibus arrogantissimæ mentis fecisse videbitur. Cave tamen ne specie decipiaris. Fuit sane homo puræ ac sinceræ religionis et summus Lutheri admirator, sed non vulgari judicio res sacras perpendit. Sanctiores mores pluris quam meram religionem æstimabat. « An gravius esse putas, scribebat ad Vagnerum, errare, labi, decipi in religione, præsertim hoc tempore, animis hominum in tot sectas distractis, quam prædari, grassari, latrocinari ? [1] » Ab hoc imprimis alienissimus fuit, ut de Cinglianis ac Calvinistis pessima quæque plurimorum instar sentiret. Sæpius enim ei crimini verterant adversarii, quod et hos et illos testes invocaverat. Hunc etiam favorem in alienas religiones reprehenderat Dux ipse : « Dass er auch die papis-

1. *Oratio in Vagnerum*. 1587.

tischen Skribenten in Lutherum und dass er, das allerärgst, die Zwinglianer und Calvinisten zu Zeugen nimmt, daran hatt er wider gar kein Gefallen gethan [1]. » Crusius quoque idem exprobrat : « quum in Papistas ac Calvinistas acerbe scripseris et vulgum id notum sit, nunc eis adulari te scimus.[2] » Neque omnino sine jure ; nam quæ in illos acerbius scripserat Frischlinus, ea cœpit sequentibus annis retractare, ut ipse fatetur : « Damit ich nit bei den Calvinisten weit und breit in Verhass komm, als hätt ich mich Theologorum angenommen.[3] » Imo etiam sæpius et aperte professus est se Calvinistarum hostem non esse existimandum ; « Calvinianum nomen, inquit, nulli unquam verti crimini, neque illo quemquam unquam calumniari volui.[4] » In elegia *Ad reliquos Germaniæ poetas qui cum Calvino faciunt,* idem sentit :

Non ego vos odi, quanquam diversa canentes,
Opto tamen nos ut copulat una fides [5].

In Papistas autem, quos comœdia quam acerbissime insectatur, benevolo semper fuit animo. Rothenburgæ cum catholicis amicis felicissimo jungebatur commercio, ejusque distichon quod in publico diversorio inscripserat hic memorare licet :

Vivat Erythropolis, vivant et dulces amici
Quos tenet antiquæ relligionis amor [6]

Neque illi invisum fuit quod sui libri a doctissimis Jesuitis in scholas introducebantur. At irritabatur in eos qui nihil ex

1. Ex Stuttgardiano archivo ; fasc. 10.
2. Crusius. *Defensio necessaria.*
3. Ex Stuttgard. archivo. fasc 9.
4. Ex Stuttgard. archivo. fasc. 17.
5. *Elegiæ pro causa D. M. Lutheri adversus J. Majorem.*
6. Ex Stuttgard. archivo. fasc. 10.

Papistis accipiendum esse existimabant. Sic Mæstlinum collegam improbat, quod videtur « magis odio Pontificis suscepisse refutationem (scilicet Gregoriani calendarii) quam odio causæ [1] ». Nulla religionis verecundia deterritus esset quin, deserta Tubinga, Friburgam veniret.

Quod cum adversarii sæpius Frischlino crimini verterent, his verbis incœptum defendebat : « Dicas mihi non potuisse me bona conscientia interpretari Poetas et Oratores in Academia Pontificia, imo tam bona quam bona aliquis doctor juris politica sua consilia dat principi alicui Pontificio aut Germaniæ Episcopo. Est enim adhuc inter nos societas et sancta propter communia literarum studia animorum conjunctio..... Sunt enim viri multo quam tu probiores ac sanctiores, qui etsi non idem sentiunt in religione quod ego et tu sentimus, tamen certum est quam plurimos eorum tibi in regno Dei præituros esse [2]. » Intellexit forsitan Frischlinus tam liberum ingenium adversariis pro scelere habendum esse atque ut omnes compertum haberent eum de rebus divinis recte sentire, *Phasma* comœdiam scripsit, qua hæreses, factiones et Papistas, nulla adhibita moderatione, damnaret.

Exitu quidem dramatis non in dubium venire potest quid de sua fide poeta auditores existimare voluerit; patet autem ex pluribus locis comœdiæ illum de religione liberius sensisse quam plerique æqualium. Fanaticus enim scriptor adversariam causam non eadem alacritate ac propriam defendisset. Sinceræ religionis inimicos ita ostendit Frischlinus ut æquus lector in incerto sit qua ex parte veritas constet. Rectæ fidei verus defensor humiliores partes Lutheri adversariis tribuisset. Spectatoribus quidem comœdiæ nihil de auctoris sentiendi genere in dubio erat; recentiori autem lectori licet aliud de Frischlini liberiore ingenio colligere.

Nam cum poeta de innumeris hæresibus loquitur, quæ apud

1. *Poppysmi Dialog.* III.
2. *Celetismus Dialog.* I.

ignarum vulgus vigent, miseris rusticis indulgere potius quam irasci videtur.

> Ah Domine! in tanta religionum varietate nesciebam
> Quid aut quem sequerer[1],

inquit Menalcas. Agricolæ in comœdia, qui de communium rerum ordine disputant nihilque atrocius esse censent quam « alium egere, alium omnium rerum copia affluere », validissima proferunt argumenta; nam ea ex ratione ducuntur, dum adversarii sua ex sacris Scripturis depromunt. Nihil mirum si Frischlinus hæc audacissime dicta haud invitus in medium protulerit, quæ eo facilius veniam habitura erant, quod in hæresiarcharum ore versabantur. Imo ex plurimis locis ostendit poeta et hæresiarchas interdum vera sensisse neque in omnibus rebus a recta fide abhorruisse: sic damnantur a Carolstadio monasteria et tota monachorum vivendi ratio.

Cum autem scriptor magno certamine Lutheranos cum adversariis luctantes inducit, et de vera Christi præsentia in Eucharistia inter se pugnantes, Carolstadius et Cinglius non minore argumentorum felicitate causam defendunt quam Lutherus ac Brentius suam, eoque invadit omnis contentio, ut Brentius, a quo ducitur disputatio, finem controversiæ faciat, confitendo veritatem nullo alio modo attingi posse quam vero sinceroque fidei actu :

> Noli tumultuari, Carolstadi :
> Nam multa sunt quæ rationi adversantur, vera tamen sunt et verbo [Dei
> Nituntur. Itaque non ingenio humano, sed vera fide apprehendenda [sunt[2].

Utcunque res se habet, non potuit adversarios convincere. Veræ religionis fautores victoriam non tulissent, nisi ad

1. *Phasma.* Act. V, sc. 5.
2. *Phasma.* Act. III, sc. 3.

fidem refugissent et apostolos vel Christum ipsum, ut causa commendaretur, invocavissent. In his quoque grandioribus testimoniis, quibus qui aliter sentiunt omnino obruendi sunt, aliquam errandi veniam Frischlinus hæresiarchis vindicat. Plurima enim apud Paulum argumenta invenerant. Quid nunc poeta? Petrum in scenam ducit Paulo obscuritatem improbantem :

Hic frater meus nonnulla scripsit intellectu difficilia [1].

Neque clarius ostendere poterat quemque propriam sententiam ex sacris Scripturis optimo jure defendere posse.

Quod si hæresiarchas atque aliarum confessionum fautores quadam venia damnavit Frischlinus, in Papistas tamen nullam adhibuit moderationem. Ceteræ enim comœdiæ Pontificiales passim mordent. In *Prisciano* jam acrior insectatio videtur. Sacerdos Quodlibetarius et monachus Breviarius alter alterius turpissimos mores improbant. Illi enim, cum vetus grammaticus gravius vapulans ad eos aufugit, ut eorum cura sanetur, volunt Priscianum suas culpas confiteri ac denique exorcizando diabolos quibus plenus sit expellere tentant. Ibi poeta catholicam confessionem et nugacissimas peccatoribus impositas pœnas ceterasque pristinæ religionis superstitiones verbis acerbissimis pungit. Sic ex literario joco fit in religionem satira, quæ tanquam *Phasmatis* prologus habenda est.

Imprimis autem in *Phasmate* ipso Frischlinus catholicorum mores insectatus est. Illis eadem exprobrat quæ a plerisque persæpe crimini vertebantur, crassum scilicet vivendi genus et gulæ studium et crapulam. Diabolum quoque in scenam ducit poeta, quod in dràmaticis ludis medii ævi fieri solebat, eumque monachi vestitu induit, quo demonstraret diabolum, monasteriorum institutione, nihil aliud moliri quam animorum perditionem. Omnium vero errorum caput, Papam

1. *Phasma*. Act. V, sc. 2.

scilicet, in comœdia acerrime aggressus est. Scenæ enim, qua Brentius ac Lutherus victoriam de adversariis ferunt, scenam adjunxit novam, in qua summus Pontifex singulos Augustanæ confessionis articulos damnandos sibi legi jubet. Diabolus autem secreto adstans secum obmurmurat atque gàudet, quod tantam opem in Pontifice invenit. Quinto denique in actu incedit Christus ipse cum apostolis et Papam vehementer improbat quod ille a suis doctrinis tantum decesserit et magis operam dederit ut augeretur potentia quam ut hominum animi servarentur.

His quidem in Papistas acerbe dictis voluit Frischlinus cum ætate sua facere. At in his quoque putandum est eum Lutheranorum iram in adversarios non omnino probavisse. Jam antea memoravi auctorem nostrum amicitia cum catholicis fuisse junctum atque enixe operam dedisse ut sedem in agro catholico collocaret. Cum autem Tubingæ antiqua religio longissime servata esset, noluit Frischlinus *Phasma* comœdiam, quæ illi multos inimicos apud catholicos fecisset, ante mortem in lucem prodire. Nempe opus scripsit, ut suam in Lutherum pietatem omnibus patefaceret, non ut adversarii libello in eum uterentur. Imo comœdiæ epilogum versibus germanicis adscripsit, quo planius quid de catholicis sentiret demonstraret. Negabat enim, et quidem mirum! se antiquam religionem insectari voluisse et solum petiisse Lutheri adversarios. Quin etiam putat (spectabat scilicet comœdia ad superiorem ætatem) non minus catholicis prioribus annis quam Lutheranis præsentibus cœlum patere potuisse. Quod si erraverunt, innocentes sunt, neque ullas pœnas solvent, quas solus Pontifex est daturus. Hæc autem Frischlini levis retractatio et vita ipsa scriptoris et liberius judicium quo utebatur erga homines alienæ fidei, omnia ea testimonio esse possunt poetam vel de catholica religione non tam acerbe sensisse quam ex ejus comœdia percipere possis. Frischlini enim adversarii *Phasma* minus sinceram fidei confessionem existimaverunt

quam quoddam argumentum, quo argueretur hic homo levis imprudensque. Qui, cum anno 1586 novam defectionem illius timerent, comœdiam *Phasma* edere moliebantur, « damit die Leuth sein levitatem desto mehr spüren khundten. [1]»

Quidquid id est, poeta veram religionem in comœdia tueri videbatur. Augustanam confessionem ceteris plane anteponit illamque sic intellegit esse amplectendam, ut in agro wirtembergico *Concordiæ forma* confirmata et explicata fuerat. Qui ex Suevis ante omnes Luthero maximam operam tribuerat, Brentius, præcipuas in comœdia obtinuit partes. In colloquio enim Marpurgæ habito (1529), ex quo totus tertius comœdiæ actus constat, Brentius contentionem ducit, Lutherus autem, neglecta historia, nihil aliud quam causæ adjutor quidam est, qui auctoritate nominis ducem sustinet. Brentio omnem victoriæ laudem vindicavit Frischlinus. Memoriam præstantissimi suevici Reformatoris extollere voluit poeta, cujus in affinitatem ipse connubio venerat. Imo partes quas jam in ceteris rebus susceperat etiam nunc tuebatur. Cum enim Brentium laudaret, illis quoque qui eamdem viam ingressi erant favebat, imprimis Jacobo Andreæ qui animorum consensionem de rebus divinis exsequendam summopere tentaverat. Congruebat igitur Frischlinus cum ceteris Humanistis qui Reformationi maximam operam dederant; Principis quoque auctoritati, quam ubique sibi defendendam susceperat, et nunc comœdia favebat. Sunt in actu secundo preces, quas chorus pro magistratu canit; Lutherus in alio loco adversus novarum rerum fautores regiam potestatem a Deo acceptam tuetur; Christus denique grandioribus verbis in Ultimi Judicii scena jura et leges et pristinum ordinem rerum hoc modo defendit :

Non jussi te rebellare magistratui, sed morem gerere
Tuis optimatibus et principibus tanquam filiis Altissimi [2].

1. Ex Stuttgard. Archivo. fasc. 14.
2. *Phasma*, Act. V, sc. 4.

Frischlinus enim in comœdiis, quarum præcipuas evolvimus, ex publica quadam auctoritate loquebatur. Comicum scribendi genus et scriptoris conditio nihil fere aliud patiebatur. Vita ejus et cetera scripta cognoscenda et cum comœdiis comparanda sunt, si verum Frischlinum ante oculos obversari volumus, quem, cum in medium prodiret, aliquantulum celari oportebat. Hoc autem nobis propositum fuit explicare quid temporum ac rerum ratio ab auctore postulaverit et quid ipse auctor voluerit. Frischlinus, utpote vir acris et audacis ingenii, interdum ægre tulit alieno ore et veluti simulata persona loqui. Quid mirum si passim proprium sentiendi genus deprompserit?

Quod non est exagerandum. Frischlini opera scenica si leviter præstrinxeris, tibi tanquam hujus temporis spectatori omnino innoxia videbuntur. Non enim novitatis accusandus esset ex comœdiis quæ fere in omnibus rebus cum ætate consentiunt. In his contra de patria optime meritus est; nam et Principi et scientiæ et religioni opem tulit. Patriam pacatam atque validam vult, quamobrem pro Duce adversus nobiles decertat; deinde religionum tranquillitatem assequitur, et Lutheranis contra hæresiarchas cujusque generis favet; studium bonarum artium denique per totam vitam commendat, atque adversus obscuros homines disciplinas humaniores comico joco defendit.

V

JULIUS REDIVIVUS. NOVÆ GERMANIÆ LAUDES

Hæc erant in votis. Cum autem quæ diu speraverat jam felicius evadere videret Frischlinus, melius non solum de patria, sed etiam de tota Germania sentire cœpit. Quanti enim germanicam gentem faceret in postrema comœdia *Julio redivivo*[1] expressit, quam ipse fatetur maxime in laudem Germaniæ scriptam esse.

Humanistis veterum scripta evolventibus occurrit ille patriæ amor quo maximis laudibus civitas vel apud græcos scriptores vel apud romanos extollitur. Horum genus scribendi cum imitarentur, patriam quoque amare didicerunt; nec jam se ex barbaris politiores factos, procul ab antiquorum gloria abesse existimaverunt[2]. Plerique autem Frischlino nimium in exteros viros doctos studium improbabant eumque a Germanis alienissimum esse dictitabant. Quod crimen a se avertendum esse poeta novo opere comico voluit. « Damit eine gaze Christenheit sehe dass ich kein unteutsch sondern ein redlich teutsch Gemüet habe, so will ich mein Julium redivivum, ein Comödie, so ich vor acht Jahren angefangen und erst dies Jahr widerumb zur Handt genommen de Germa-

1. Inchoatum opus anno 1572, impressum est anno 1584.
2. Cf. Buschkiel. *Nationalgefühl und Vaterlandsliebe im älteren deutschen Humanismus*. Chemnitz. 1887.

niæ nostræ laudibus auff künftige Ostermess in Truck verfertigen und zur Errettung meiner Ehren den höchsten Potentaten teutscher Nation teticiren. [1] »

Nulla vero Frischlini comœdia ob inventionem et justam morum imitationem magis laudari potest quam *Julius redivivus*. Dolendum est solum poetam opus interruptum reliquisse et argumentum quod sibi proposuerat non omnino tractavisse. Militares enim Germaniæ laudes copiosius, literarias autem brevius explicavit. Compertum habemus auctorem de rebus academicis ita abundanter loqui voluisse ut quæ in *Prisciano* comœdia jam scripserat vel aucta vel correcta haberemus. « Cicero Cæsari imprimis lectiones sacras cum gemitu narrat, lectiones juridicas, medicas, historicas, oratoricas, philosophicas, etiam poeticas. Quæ omnia sic exagerantur ut nihil possit amplius dici, justa tamen adhibita moderatione. [2] »

Res suæ Frischlinum impedierunt ne comœdiam plane ex argumento scriberet et duo postremi actus multo breviores, atque ab incœpto opere paululum alieni sunt. Attamen in *Julio redivivo* Germaniæ laudes reperias satis magnificas vel quidem exageratas. Cæsar, qui olim Germaniam, incultam regionem, silvis horrentem, barbaris populis refertam perlustravit, nunc penitus mutatam cum Cicerone revisit. Ubique uberes agri, ditissimæ urbes bene munitæ atque hominum industria florentissimæ. In belli autem artibus cuicunque genti præstant Germani, quos validum et lacertosum corpus, fortissima in pugnis virtus ad rem militarem aptissimos jam fecerunt. Nunc vero, novissima ætate, multis rebus ab illis inventis, egregii milites habentur. Ostendit Frischlinus Cæsarem ac Ciceronem sclopo et tormentis æneis adeo attonitos ut Hermannum ducem pro numine ad terram prostrati adorent. Sed non solum in re militaria illustrissimam famam assecuti sunt Germani : in pacis artibus etiam præstantissimi inge-

1. Ex Stuttgard. Archivo ; fasc. 10.
2. Argumentum Julii redivivi (Stuttg. archiv. ; fasc. 13).

nii fuere. Multa invenerunt quæ ab antiquorum industria longe recedunt multaque jam alios docuere : papyrum ex linteis fabricandi et libros typis excudendi artem habent nunc a Germanis homines. In literis quoque non antiquis scriptoribus cesserunt. Eobanus Hessus, cui Frischlinus pro ceteris Humanistis primas partes dedit, mirantibus Ciceroni ac Cæsari præstantissimum eruditione quemque virum memorat atque tam innumera affert nomina ut Ciceroni fatendum sit non minores doctos viros ex Germania quam ex Italia ortos esse. Hic magnas laudes canit Frischlinus de omnibus cum exteris tum germanicis Humanistis, neque eruditissimos Sueviæ viros omisit, ut aliquantulum satiram in Prisciano levaret[1]. Ex priore comœdiæ argumento introduxerat « Mathematicum cum globo et Ephemeridibus ». Merito credi potest hunc locum ob inimicitiam in collegam Mæstlinum ab auctore fuisse deletum. Magnificentissimis autem verbis laudes, quas Germani tunc de re astronomica, tanquam auctores ac duces, meruerant, extollere licebat. In his quidem poetæ facilius assentiendum est ; nam quæ in ceteris germanicæ genti vindicavit, eodem fere jure quisquis de sua canere potuisset. Difficile vero poetis in laudanda patria modum tenere.

Difficilius autem est patriam laudare et nihil mali de aliis populis, præcipue de vicinis dicere, qui æmuli aut adversarii habentur. In eum errorem incidit Frischlinus, quippe qui sciret aliarum gentium insectatione comœdiam spectatoribus majore gratia esse accipiendam. Tubingæ enim erant invisi alienigenæ. Professorum atque imprimis theologorum artificiis, jurisperiti Molinæus Gallicus et paulo post Gribaldus Transalpinus ex Academia recesserant, traditurque Ducem Christophorum, quanquam alienis hominibus non infensus

1. Crusium tamen tecte pungere non prætermisit, cum de quibusdam doctis viris loquitur, « qui corrigendo libros, liberos non corrigunt » (*Julius redivivus*, Act. III, sc. 1). Crusius enim de filio et filia sæpius apud senatum questus erat. V. Mohl, opus citat. p. 44 et 54.

erat, tamen jurasse nullum ex gallica gente doctum Academiam suam posthac ingressurum. Jam in *Prisciano* suo Frischlinus Parisienses doctos deriserat et inter libros, quos tanquam obsoletos et ridiculos reprehendit, multi erant a Gallis scripti. In *Julio redivivo* autem acrior est insectatio. Italos enim et Gallos, scilicet populos vel a Romanis ortos vel ab eis victos, ut gentes deteriores et adulteratas ostendit poeta, quæ ad pudendas aut crassas artes redactæ sunt. Linguam ipsam quam olim locutæ erant aut didicerant oblitæ sunt et nova fartagine loquendi utuntur. Sabaudus mercator in comœdia gallice, Transalpinus caminarius italice loquitur, quo sermone excruciatur Cicero. Si autem poetæ credas, nebulones et versuti homines sunt, qui tantum vitiis indulgent;

> Hodie vix ullum reperias
> Hominum genus mendaciloquius, nugacius, perjurius
> Quam sunt mercatores ejusmodi [1].

Sabaudo Frischlinus maximo crimini vertit quod Germanorum disciplinam militarem alieno luxu corrumpat [2]. Quod idem in *Helvetiogermanis* antea reprehenderat; similem personam in scenam duxerat quæ easdem pudendas partes tenet : Germanis contra et illorum duci Ariovisto maximas bellicas laudes tribuerat.

His enim verbis poeta ætati assentiebat, quæ Gallos insectabatur invidia et contemptione, a qua fere nunquam abstinuerunt Germani. Multi post Frischlinum eodem arrogantiore in patriam studio incitati, ridiculam imaginem affinis gentis, cui simul invident ac favent, in scenam duxerunt. Frischlinus quidem excusari potest, quod nihil aliud quam jocum esse voluerit. Scripserat enim in argu-

1. *Julius redivivus*. Act. II, sc. 4.

2. Quæ accusatio sæpius audiebatur : drey Ding seynd zu vihl in Württemberg : 1. Allerley Bettlèr und Landstrolchen. 2. Supplicationes bey der Canzley. 3. Welsche Saphoyer und Krämer *(Tria Württembergica)*.

mento : « Mercurius interpres Itali narrat Ciceroni quale id genus hominum sit, ne ipse omnes Italos tales esse credat. Ibi multa in laudem Italiæ dicuntur quæ comicum istum jocum egregie compensant. » Etenim re ipsa non tam male sentiebat de Gallis aut de Italis ; imo alienos Humanistas maxima prosecutus est admiratione, imprimis J. Lipsium et Josephum Juliumque Cæsarem Scaligerum, et Ramum [1], et Muretum, et Despauterium et Bezam. Adversarii sæpius illi crimini verterunt, quod exteros pluris quam Germanos fecerat. At contra Frischlinus : « longe meliores sunt isti Itali quos tu mordes passim in tuo libro quam tu Germanus et quidam tui similes viri ἰδιογνώμονες [2]. » Irati sunt præcipue quod Melanchthoni Frischlinus Gallos Italosque anteposuisset. Itaque Crusius eum « barbarum » appellabat et « a Germanis quasi quemdam Italisatum Germanum alienissimum [3] ». Stuttgardiani ludi moderatores, qui Frischlini grammaticam recensendam susceperant, nimium quoque studium exterorum hominum improbabant : « Alemanus ab Alemanis nostro judicio plus laudis reportasset, sed ita natura hominis est : delectatur non minus destructione quam exstructione, nec minus exteris quam domesticis [4]. » Merito quidem respondebat poeta laudem literariam cum patriæ finibus nihil commune habere. Sententias enim ejus respicienti, universi mundi civis apparebit ; quoties autem ex publica auctoritate loquitur, fanatico quodam furore incensus esse videtur. Hoc quidem Humanistarum in Germania proprium fuit, ut patriam illiberali et pene cæco amore amplecterentur.

Humaniorum studiorum societate juncta Germania longa

1. Immerito vult Waddington in suo libro (*Ramus*. p. 394). Frischlinum inter Rami adversarios numerari. Huic autem maximas Frischlinus laudes tribuit, cum in *Strigili grammatica* (Dialogus II et III), tum in *Prisciano* (Act. V, sc. 2 et 4).

2. *Strigilis grammatica. Dialog. III.*

3. Crusius, *Defensio necessaria*.

4. Ex Stuttgard. Archivo, fasc. 14.

post tempora primum sentire cœpit se in unum corpus in dies coalescere. Debilitatum quidem vinculum sed adhuc valens erat Imperatoris et imperialium comitiorum auctoritas. Cum autem communi bonarum artium et linguæ latinæ studio jungerentur viri et eodem etsi alieno sermone uterentur, sibi communia assequi visi sunt. Reformatione ipsa, quæ tamen reipublicæ fundamenta infirmaverat, adstrictius conjuncti erant animi. Quid igitur mirum si Germania conscia sibi tunc fuerit se potentem quandam gentem esse volueritque gentilia merita sive justa sive ficta tum comparatione antiquorum tum insectatione recentiorum populorum extollere? Quæ comparatio postea in maniam quandam evasit. Prælia, quibus veteres Germani Romanos debellaverunt, usque ad satietatem decantabunt poetæ. Propter enim verecundiam in antiquos scriptores hoc Humanistis non dabatur, ut tam contumeliose cum Romanis compararentur. Igitur multo abest ut Frischlinus de Arminii victoria glorietur, quæ tantummodo memoratur, majorum virtutis defendendæ causa suspicionisque insidiarum levandæ ;

Nos germanis hoc a patribus
Et majoribus nostris didicimus : virtute et manu
Non dolo contendere ac nullis insidiis nitier[1].

Postea vero, dum patriæ laudem gloriamque quærunt, easdem insidias iterum atque iterum poetæ decantaverunt ; imo Romanos hostes pro quocumque Germanorum adversario habuere et Gallos sub romanis nominibus intelligi voluerunt. Eodem igitur sermone laudatores Germaniæ sedecimo sæculo et sequentibus temporibus usi sunt, rerum tantummodo ratione mutata. In recentissimis quoque annis doctissimi cujusque viri in Germania cum Humanistis est mira similitudo. Nam ut Frischlino nostro, sic et illi apparet Germaniæ opes imprimis ex militaribus et ingenii virtutibus constare.

1. *Julius redivivus.* Act. I, sc. 2.

Eruditissimus quisque et bellica et literaria lauro superbiens germanicam gentem ad rerum fastigium, haud secus ac Humanistæ prioris ætatis, pervenisse dictitat.

In suis poetis, philosophis ceterisque scriptoribus, qui tot tantique in Germania his proximis sæculis exstiterunt, maximum adjumentum invenit patria, ita ut omnium germanicorum populorum tum in animis tum in rebus consensione tandem in magnam valentemque gentem evaderet. Sermone communi et præstantissimorum ingeniorum cultu juncti, inceperunt Germani melius de se existimare, atque ultra angustos civitatis fines intuentes, antiquam patriæ fortunam novis opibus instaurare voluerunt. Cum apud alios populos florens vigensque rerum politicarum status scriptorum protulisset uberrimum proventum, doctissimi viri in Germania ad imperium iterum condendum maximam operam tribuere, Humanistis sedecimo sæculo non eadem fortuna contigit, etsi eodem arserunt in patriam studio atque bonarum artium cultu conjuncti eamdem spem de futura gentis conditione conceperunt. Deerat quidem hoc tempore doctorum virorum cum maximo civium numero consensio; erant eorum proposita a communi sentiendi genere nimium aliena; non poterat populus ipse quin ab illa antiquorum auctorum imitatione abhorreret. Attamen maxime de patria meriti sunt Humanistæ, quod Germaniam sanguinis et ingenii necessitudine conjunctam semper ob oculos versatam habuere.

CONCLUSIO

Ex Frischlini comœdiis quæ sibi proposuerit ætas studere voluimus : populi enim certamina adversus nobiles pro Principe, virorum doctorum conatus ut magis ac magis bonarum artium studia florerent, Reformationis bellum cum in antiquam fidem tum in varias hæreses, gentem paulatim conjunctionis et opum conscientia gloriantem, hæc omnia quæ Frischlini tempori propria sunt, in comœdiis reperias. Hæc recentiori lectori maxime sunt commendanda, quæ ad historiam totius Germaniæ vel etiam Sueviæ spectant. Injustum tamen sit nihil de literariis virtutibus harum comœdiarum dicere, etsi eas aliis oculis quam æquales judicamus ac plura in eis nobis culpanda quam laudanda videntur.

De scenico genere longe alia est sententia hominum nostræ ætatis, ita ut in his Frischlinicis comœdiis nil fere dramaticum inesse putent. Omnibus enim deest id, ex quo ante omnia drama constare debet, quod caput appellare possis : scilicet morum certamen inter personas. Duæ tantum ex Frischlini comœdiis hanc laudem sibi vindicare possunt : *Susanna* atque *Hildegardis*, quam velut *Susannæ* iterationem haberi licet. Ex *Rebecca* quidem justum dramaticum opus expromere posset poeta, si duos fratres, mitem Isacum ferumque Ismaelem, mutuo bello decertantes et in

omnibus rebus adversantes ostendisset. Quod cum noluisset, ex dramatica fabula idyllium quoddam effloruit. Nihil fere aliud sunt ceteræ comœdiæ quam narrationes senariis dialogique forma expressæ. Profert enim poeta in scenam duas personas idem sentientes, quarum una narrat, altera autem audit, quæ nunc approbando, nunc mirando vix verba quædam emittit. Ex quo putamus poetam didacticum opus scripsisse neque omnino dramaticum.

Si per transennam tantummodo adspicias, comœdiæ sunt. Omnes enim quinque ex actibus constant, ut ars poetica jubet. Sed parum refert utrum necne poeta satis amplam materiam habeat, qua quemque comœdiæ actum adornet. *Julius redivivus*, quem auctori non licuit scribere uti sibi proposuerat, in quinque actus partitur; at in duobus postremis prope nihil agitur. Cum inter dramatis personas nulla fere sit morum oppositio, actio quoque in comœdia nulla est. Scenæ ex sermonis garrulitate vel odiosa repetitione constant; sæpius persona secum loquitur, neque id ulla veri specie; si duæ ingrediuntur in scenam, altera alteram fingit se non adspicere, dum inanibus verbis tempus utraque conterit; postquam autem se agnoverunt, salutationibus nullum modum faciunt. Hæc omnia quæ ad ipsam fabulam inutilia sunt, quid aliud quam scenas in longum trahunt? Quæ si non sufficiunt, poeta sese ad comicos jocos confugit, quibus ei opus erat, ut spectatorum animos a fatigatione renovaret. Quæ quidem scenæ aut callido modo cum fabula junguntur, ut in *Julio*, in *Hildegardi*, aut, ut in *Rebecca*, in *Helvetiogermanis*, nihil cum ceteris partibus commune habent actionemque in comœdia retardant.

Quod si non jam scenicam artem, sed personarum mores respicias, poetam invenias cui majorem laudem jure impertiaris. Personas enim ubique aptissime ex natura expressas spectatoribus proponit, quæ simplicitate quadam et veritate nos delectant. Non penitus quidem mores hominum intros-

pexit poeta, sed interdum plura præbet mira observatione notata. Etiam cum geminas in scenam ducit personas quæ easdem partes tenent, eas non omnino similes effingit, ut duos senes in *Susanna*, Cæsarem et Ciceronem in *Julio*, Cinglium et Carolstadium in *Phasmate*, Erasmum et Melanchthonem in *Prisciano*. Imo etiam personæ secundarum partium non a poeta negliguntur, sed justam vitæ imaginem præbent : exempli gratia, Bathuelem in *Rebecca*, Rosinam in *Hildegardi*, Corydonem in *Prisciano* memorari volo. Item mores oppidanorum, rusticorum, muliercularum, videlicet humilioris fortunæ hominum, maxima felicitate expressit. Sunt vero in comœdiis aliæ personæ quas poeta de industria magis a natura alienas fecisse videtur : scilicet quæ ridiculas partes in jocosis ludis tenent, parasiti, servi, rustici. Qui autem, etsi a communi natura nonnihil recedunt, veros tamen mores, paucis quidem exceptis, quæ exageratione quadam dicuntur, referunt. Quis enim neget trucem ferumque Chamam, gulosum mendacemque Gastrodem, ignavum centurionem Thrasymachum, plumbeum insulsumque rusticum Corydonem e viva vita esse adumbratos ? In his quidem majorem vim comicam reperias quam in ceteris. Præterea illorum verbis carpit poeta ætatem suam, et in hac satira quam maximam voluptatem nobis affert.

Difficile est de sermone in Frischlini comœdiis loqui, cum nihil aliud ac veterum comicorum imitationem præbeat. Attamen propter dicendi genus hæc opera æqualibus acceptissima fuere, quod nobis non mirandum est, si Frischlini orationem perpendimus, ita elegantem, planam, simplicem, perspicuam, ita ab omni ambiguitate abhorrentem, ut comœdiæ ab adolescentibus facilius intelligerentur quam Plauti aut Terentii. Lectorem quoque admoneri volumus eas scriptas esse, quæ agerentur potius quam quæ legerentur. Inde plura in dialogo inutilia sunt, quæ quidem si in colloquentium ore non offendunt, scripta tamen garrulitate fatigant. Satius esset poetam rapidiore sermone usum minus tardo socco incedere.

Sin autem vim comicam respexeris, ut in scribendo, ita in risu movendo Frischlinus nimium ingenii felicitati indulsisse videatur. Haud illepidos quidem sales apud eum invenias, sed multa quoque scurriliter et insulse dicta nimiumque repetita. Quoties enim vel ambigua verborum significatione, vel obcenis dictis, vel servo rusticove vapulante risus captare tentavit! Et tamen nonnulla venia danda ei esset, si urbanioris delectationis genus quæsivisset.

In his quidem Frischlinus alienissimus videtur ab antiquis comicis poetis quos sibi imitandos proposuerat. Plautum ac Terentium non omnino ex adolescentium manibus excutere volebat, sed eorum operibus, quæ interdum cum morum severitate pugnabant, honestiora scripta adjungere. Hæc æmulatio prope innumeras imitationes apud germanicos poetas in lucem protulit, quas omnes recensere et expendere scriptionis hujus ratio non patitur.

Frischlinus autem Plautum vel Terentium summis tantum labris attigisse videtur, si ejus et illorum comœdias inter se conferas. Sententias quidem et versus et totos locos ex veteribus comicis ad verbum expressos sæpius apud eum invenias, quod magis furandi quam imitandi artificium nostræ ætati videatur. Scenarum initium præcipue ad imitationem romanorum scriptorum fecit, deinde comicos jocos in quibus parasiti servique disputatores sunt. Plautino sermone in his scenis utitur, Terentiano autem in ceteris quæ graviore modo exprimuntur; fere in omnibus veterum instar senarios versus adhibuit. Attamen si omnia attentissime perpendas, Frischlinum non imitatum, sed plura tantummodo mutuatum esse judicabis. Neque minimi facienda est tum auctoris memoria quæ antiquos comicos tam fideliter retinuerit, tum ea calliditas aliena cum propriis conjungendi. Re autem vera Plautum Terentiumve hoc Frischliniano socco difficilius agnoscas. Ubi enim mira Plauti fabularum inventio? viva morum pictura? ubi tam laudata vis comica? Ubi Terentii concinnitas, venustas, ser-

monis elegantia? Singulis tantum in scenis (hæ quidem rariores sunt) velut tenuem umbram deprehendere possis illius ingenii quo veteres comici eminuerunt. Quibus tamen propior fuisset Frischlinus si opera non tam rapido calamo scripsisset et de arte dramatica aliud sensisset.

Igitur si nihil aliud ex Frischlini scenicis operibus nisi literarias laudes requiras, humiliores certo invenias nec satis ab aliis comicis scriptis ejusdem temporis alienas. Sin autem quid sibi proposuerit auctor perpendas, quid dicere, quid tacere voluerit, quid aliter dixerit ac senserit, voluptatem quandam ex comœdiis percipere possis. Fuit enim Frischlinus plus quam subtilis et elegans antiquorum imitator, fuit homo vere acris et liberioris ingenii, ut qui vel in levioris generis operibus optima quæque suæ ætatis studia, neque errores et injurias, expressisse videatur.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XVII Kal. jan. an. M.DCCC.XCVIII,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX

EX TYPIS CERF
59, VIA DICTA DUPLESSIS
VERSALIIS

IMPRIMERIES CERF. 25-4-98.